(2)

DE MACHINA
ET
NIMA HVMANA

PRORSVS A SE INVICEM DISTINCTIS

COMMENTATIO,

BELLO LATERE AMANTIS AVCTORIS
GALLICO,

HOMO MACHINA

INSCRIPTO

OPPOSITA

ET

AD ILLVSTRISSIMVM
VIRVM
LBERTVM HALLER

PHIL. ET MED. DOCT.

gnæ Britann. Regis Conſiliar. Aulicum & Archiatrum,
Acad. Gœtting. Med. Anat. Chirurg. Botanic. Prof. Publ. Ord.
c. Regg. Brit. & Upſal. & Academ. Reg. Scient. Svec. Sodalem,
in Supremo Senatu Reipubl. Bernenſis Ducentum Virum
&c.

EXARATA

A

BALTHAS. LVDOVICO TRALLES

MEDICO VRATISL.

LIPSIAE ET VRATISLAVIAE
APVD MICHAELEM HVBERTVM
MDCCXLIX.

GLORIAE MEDICORVM
MODERNI SECVLI
LITERATISSIMOQVE
VIRO
ALBERTO HALLER
CVLTOR PERPETVVS
BALTHAS. LVDOVICVS TRALLES
S. P. D.

Innumeris vicibus fervidus optaram hactenus, haberem aliquid quo oblato TIBI *in-noteſcerem, quoque ſummo in pretio habendam* TVAM *benevolentiam in me derivarem* VIR ILLVSTRISSIME; *ac talis denique forem, cui illæſa verecundia ipſam confidenter ſperare fas eſſet. Ea nimirum ex quo quæ felix edidiſti in lucem, ſedulus perle-*

gi, mihi ſurrexit Magni Tui Nominis Veneratio, ea TE *in excelſo perſpicaciæ humanæ culmine locatum, Medicorum mediocrium forte ultimus, ſublatis ex depreſſa popularis eruditionis ſede in ſublime oculis, reverentia ſæpe ſum contuitus, ut ſat gloriæ conſecutus mihi viderer, ſi inferiora aliquando circumſpiciens me itineris quod diu emetitus es, remotiſſima veſtigia legentem æquo animo ferendum reputares.*

Etſi enim mihi non licuit eſſe adeo beato, ut ſuperatis omnibus ignorantiæ, errorum, dubitationum umbris & nebulis, audax ingrederer quæ paucis patent intimiora ſcientiarum ſacraria; atque ſupremæ quæ datur voluptatis particeps coram inſpicerem ſimplex & luce ſua radians veritatis

ritatis jubar; ſaltem eas dotes conceſſit Bonorum animi Largitor DEVS, *quibus quæ penitius ſcire & propius cognoviſſe expediviſſet, eminus attingerem; divinorumque ingeniorum quæ ſummo honori ſibi eſſe inter Mortales juſſit benefica Providentia, juſtæ decentique admirationi ſufficerem. Hæc inter* TIBI DOCTISSIME HALLERE *& gloriæ Numinis, & hominum ſaluti, & famæ Tuæ gnaviter litanti plaudit cultior & ſagacior Orbis Univerſus; quemque non ſine innocenti in Helvetiam tuam invidia, ſuum eſſe mallet quævis regio, datum felici ſidere exteris Muſis Goettingenſibus gratulatur, meritumque de omnibus omnis terra prædicat & extollit: atque ego turgidulus paulisper a mea Sileſia ſelectus interpres mihi*

 videor,

videor, qui ejus communia obſequia & amores, meique ſeorſim humillima ſtudia TIBI *ſignificarem. Vix prævidiſſem, diſſolutiſſima impietate effrænique ſentiendi libidine comitibus, me propius ad Te perductum iri; cogitatisque quibus nauſeam & abominationem* TIBI *motam ſcio, viam mihi parandam fore, qua favorem Tuum adirem. Forte autem una hæc mihi relicta occaſio qua* TIBI *placeam, dum enim qua es integritate & ſapientia,* TIBI *non potuit non valde diſplicere inſcriptus Nomini Tuo libellus* Homo Machina, *candor devotiſſimæ* TIBI *animæ forte probabitur virulentis adeo ſententiis nec infectæ, nec per Dei gratiam inficiendæ unquam. Atque quam vellem illa dictionis pompa & elegantia veritatis juſtiſſimam cauſam fuiſſem tuitus,*

tuitus, qua diverſa a meis ſentiens Auctor colorem & ſpeciem opinioni conciliavit! Nil interim hanc juverit externa ceruſſata licet facies, ſub larvis & fuco ab oculatis facili negotio dignoſcenda; nil nocuerit illi humilis cultus, conſarto amictu & aliena, ac hinc inde emendicata condecoratione haud indigenti, ſed propria virtute & interna pulchritudine ad ſui amorem & reverentiam omnes bonos pellicienti. Illam interim quæ inconcuſſa perſtabit, veritatem, ſi mea ſolius culpa non pro ſua dignitate propugnavero, dabis tamen ſinceræ voluntati veniam, virium penuriam gratioſa fronte tolerabis, argumentorumque & Tuorum & aliorum præſtantiſſimorum Medicorum, quorum omnium res agitur, invictisſimum robur, quod male fundatis ſen-

 tentiis

tentiis ſæpiuſcule oppoſui, mecum collaudabis. Præſtet TE *Deus Optimus Maximus in ſui gloriam quam diutiſſime ſanum & vegetum, omnique humanæ felicitatis genere beatiſſimum, atque ad extendendos ſcientiarum limites natum Erudito Orbi, Academiæque ſervet incolumem ad viridiſſimam ſenectam; mihique Cultori humillimo & obſequioſiſſimo reddat pronum & facilem, in quo magnam exoptabilis fortunæ partem repoſtam reputabo. Vale* VIR PRAESTANTISSIME & *res tuas omnes agas ex voto.*

PRAEFATIO.

Longe alioquin qui qualemcunque norunt intimius, me abeſſe teſtabuntur ab illo deteſtabili pruritu vellicandi & laceſſendi alios, qui ad elegantiores Seculi mores hodie fere referri ſuevit; cum ægerrime a me impetrem, ut nævos alienos in conſpectum producam, in me ipſo emendando largiſſimam occaſionem nactus. Ob clinicorum quoque negotiorum multitudinem & catenam, iisque junctas perpetuas interpellationes, nexum concatenatum ſublimiorum meditationum omnem abrumpentes, prohibitus ſæpe a lectione librorum, taliumque præcipue qui ſphæram in qua

verſor haud ingrediuntur, raro natam occaſionem gaudeo nova placita tot Scriptorum ediſcendi, quæ propterea multo minus trutinare ſerio, nedum cenſuræ cuidam ſubjicere valeo. Legi, tamen nihilominus attentus peſtilentiſſimum libellum, *Hominem machinam* quem veroſimilia nonnulla & ſtringentia, atque a quovis haud diluenda ſagaciorum quorundam judicio complecti intellexeram, maxime cum Medicis eundem præcipue deſtinatum ab anonymo Auctore audiviſſem. Atque vix aliquot pagellis pervolutis, mirari debui & plauſu excipere eximium certe & haud vulgare Auctoris ingenium, rerumque lectu & meditatione partarum divitias, ac comptam & ad perſuadendum accommodatam dictionem; ſed ſimul deliteſcens ſub blando hoc & dulci vehiculo ſepticum cauſticumque Virus horrui, non quidem præjudiciorum tyrannide quam totus abominor a ſententiis auctoris revocatus, ſed de veritate & probabilitate dictorum neutiquam convictus. Non loquar jam irritum & vanum Auctoris conatum, eoque infelicius ſtudium, cum ex eodem non ſaltem nil boni proficiſcatur in huma-

humanam ſalutem, ſed potius tanquam ex lacu noxiis effluviis longe lateque circumfuſum aërem inficiente, malorum æternis pœnitentiis non reparandorum myriades reſultent; talia quippe maleferiatum, protervum & omni tranquillitati ſummo in hac vita bono, inimicum Auctoris animum non feriunt. Unum dicam: inter paradoxa ipſius inveniri nihil, quod rigidum examen ſuſtineret. Ægre igitur ferre incepi, Medicos præ aliis Eruditis habiles ſtatui, qui præeunte arte ſua præceps illud & vertiginoſum iter quod a religionis recto regioque tramite abducit, faciles ingrederentur. Tanto autem me acutius læſit delata ad innocuum illorum Ordinem ignominioſa fiducia, quo certius ex quo Juvenis addiſcere Medicinam doctiſſimorum hercle, ſed tamen pientiſſimorum ſimul Præceptorum Lipſienſium & Halenſium diligenti manuductione cœpi, atque dein mature ad ægrorum lectulos crebrius vocatus fui, quo certius inquam omni hoc tempore, nulla certe pigra & plebeja credulitate torpens, ſed increſcente ſenſim rerum ſcientia & uſu, convictus ſum, vix dari poſt illud totum ſeſe divinis ſcientiis devovens,

vens, aliud vitæ genus, quod magis igno-
rare Deum non ſinat, quod magis colere
ipſum vel renuentes & invitos jubeat, quod-
que ſpontaneos caſus & naturæ fortuitæ cœ-
ca imperia ad ſtultiſſimam ſapientiam magis
referre doceat, quam id, quod perpetua
corporis humani ſani & ægri contempla-
tione, aſſidua vitæ & mortis imagine & me-
ditatione, perpetua corporearum legum
limitumque ipſis poſitorum conſideratio-
ne, occupatur. His imbutus principiis,
atque inter perpetuas experientias & ne-
gotia practica continua, indies magis Athe-
iſmi & Materialiſmi flenda deliramenta per-
ſpiciens, nonnulla quæ opponi jure aſſertis
Auctoris poterant, amicorum quorundam
hortatu in chartam conjeci. Hæc tamen
inter ſchedas latuiſſent in angulo, lucem-
que publicam vidiſſent nunquam, niſi ad-
verſa valetudo me ad tempus a publicis la-
boribus revocaſſet: tum vero non inanem
prorſus ſterilemque operam me impenſu-
rum fore credebam, ſi non amœnum adeo
hoc & dulce literarium otium, huic nego-
tio dicarem, vacuosque a viſitatione ami-
corum & conſultatione horularum qua-
drantes eidem impenderem. Optaſſem
valde

valde alia methodo uſus eſſet Auctor, ſententias ſuas melius coordinaſſet, diſtinctius expoſuiſſet, diſcurſumque in certa quædam capita diſtributum dediſſet, ſeriem rerum in uno conſpectu exhibuiſſet, ſed hac quam elegit ratione fere conſcribuntur ſolidioribus fundamentis deſtituta.

Ego interim fideliter ejus ductum a capite ad calcem ſecutus ſum, cumque forte non in omnium eorum manibus eſſe posſet ejus libellus, qui mea qualiacunque lectu digna habituri ſunt, atque ſine mente ipſius cognita oppoſitiones meas uſu carituras crederem, inſuperque contraria juxta ſe poſita magis eluceſcant, textum Auctoris præmiſi ſemper in certa penſa diſtributum, meumque dein judicium adjeci, aut ex textu præmiſſo propoſitiones palmarias excerpſi, quibus dein ſubjunxi ea quæ ſubjungenda videbantur. Uſus fuiſſe debueram eadem cum Auctore lingua, ſed non ſatis familiarem & exercitam mihi eſſe Gallicam profiteri debeo, raro Germanis eousque propriam, ut ſcripta placeat delicatioribus: licitumque facile fore credidi, communi eruditorum ſermone conſcri-

bere

bere animadverſiones in libellum a Lite
rato Viro non niſi Literatis ſcriptum, atqu
his ſolis intelligibilem. Sedulo autem ca
vi, quando vertere in latinum cogitata Au
ctoris aggreſſus ſum, ne in ipſius damna &
meos uſus aliquid mutaretur, aut dun
prolixitatis evitandæ cauſa raro verba eju
omnia ſervavi, ſed mentem ejus expres
ſiſſe mihi ſuffecit, ne irreperet aliquid al
eadem abhorrens. Cum vero Illuſtrium
Medicorum Mechanicorum Gloriæ & In
nocentiæ ſacrum voluerim laborem ſuſce
ptum, famæ ipſorum optime conſultum ir
reputavi ſi quæ ad ſcopum facientia egre
gie conſignarant, interdum adducerem,
ſuisque locis insererem, & accommoda
rem. Pulchrum quippe & dictu laudabil
credo, habere eos ſolos etiam ſine theolo
gicis & philoſophicis argumentis, quibu
impietatem maleque fundatam ſentiendi li
bidinem cicurent, & inhibeant. Quand
autem Auctor vere non ſolis ſcripſit Medi
cis, ſed multa adjecit ad hos prorſus no
facientia, mihique adeo filum dictorum
abrumpere nolenti neceſſitatem impoſui
excedendi meos limites, evagandique i
campos alienos, dabunt veniam Præſtantiſ
ſim,

ſimi Theologi, JCti, & Philoſophi, ubi cauſam eorum minus idoneus male egero, qui inter gemitus & ſtrepitus practicos elegantiores adeo literas magis indies dediſco. Imo vero Medicos ipſos rogatos velim, mea omiſſionis crimina indulgeant ægrotanti, cui & vires animi languere intelligunt, defectusque opellæ data opera aliquando ſuppleant. Ludicra interdum admiſta, ad quæ cæteroquin raro feror, tolerabunt ſpero æqui rerum arbitri: forte ea inſervient tædiis auſteriorum meditationum mulcendis, lectorumque ingenio & luſibus ejus faventium patientiam detinebunt: ridendo quoque interdum verum dicere nemo vetaverit iis præcipue, qui riſubus & ſalibus excipere ſolent ſeria conſideratione digniſſima, atque ut fere moris eſt, facetiis magis ea oppugnant, quam rigidis & ſeveris ratiociniis. Cæterum qui forſan argumentis meis ad verboſas ſaltem elegantias haud referendis deeſſe valorem cauſati fuerint, aut intempeſtive me religioſum paſſim egiſſe reputaverint, præter rem me culpatum ſciant, nec habere de quo ſuo jure conquerantur. Juſti nimirum & æqui ſi ſint Cenſores, largiantur

oro,

oro, facilius nodos necti, quam ſolvi, facilius quæri, quam reſponderi; maxime ſi abſolute vetitum fuerit ea vocare in ſubſidium, quæ rationi ultra progredi neſciæ inſervire juſſit amantiſſimus humani generis revelationis Largitor. Ad hunc acceſſi non raro propius, fateor, at cum Oſore ipſius rem habens eam puto ingreſſus ſum nunquam, licet paſſim ſimilia urſerim ad quæ & rationis & revelationis ductu pervenitur: certiora multo & ſolidiora, quæ hæc ſola monſtrat ſuis amicis, quæque minus opportune hic loci allata fuiſſent, omiſi prorſus. Atque quam felicem habiturus forem rerum mearum ſucceſſum, ſi quando omnia illa ſcriptionum genera quæ ab Atheis & Materialiſtis proficiſcuntur, vere æſtimata plane nullius uſus ſunt, neque vel tantillum juvant felicitatem humanam, ſed potius pacatæ mentis tranquillitati quam anhelamus omnes, adverſantur e diametro; tenuiſſima hæc mea commentatio bonis omnibus firmandis, atque vel uni in præceps lapſuro & abripiendo errorum ſyrtibus ad meliorem frugem veramque temporalem & æternam ſalutem reducendo ſufficeret. Id faxit Deus!

Dum

*
* *

Dum hæc ſcribo, atque deductum ad ſuum finem opuſculum minus licet exaſciatum ne nimis tardum procedat in publicum, Vratislavia abitum ſuum Lipſiam ubi typis imprimendum eſt, maturat; ecce incidit in manus meas editus haud ita pridem libellus itidem Gallicus *Homo plus quam Machina.* Quid vero viſo eodem aliud cogitaſſem prius, quam in ipſa ejus fronte ſtatim injungi mihi, oblivioni darem omne quod ſcripſeram, atque ſchedas meas tineis & blattis eſcam lubens concederem; alium quemcunque Auctorem *Hominem machinam* aggreſſum me glorioſius multo ſuo defunctum fuiſſe munere, ne inſpecto quidem ejus labore, ſtatim conjiciens. Verum dum ex Ordine Medicorum aliquem Eruditiſſimum Virum (cum quo ſolo prœlia miſcere vult Auctor *Hominis Machinæ*) prodiiſſe in publicum opinor, quod hercle minus expectaſſem, hoſtem eorum & obtrectatorem ſtupeſcens conſpicio. Statim nempe ſub libelli initium, quam de ipſis ſine exceptione omnibus animo fovet

ſententiam, palam indicat. *Ignorantia Logices*, inquit, *errores parat Medico, efficitque ut longo tractu eos deglutiat. Non ſentit quid ipſi deſit, ut legitimas concluſiones formet. Cognoviſſe hoc remedium ſanitatem homini reddit, ex deliro ſapientem facit, unum ſtatim ſufficit concluſioni, quod homo nil ſit niſi horologium, quod nil requiratur ut ſit rationalis, quam ut ejus elateres ſint bene comparati, atque quod demum omnis homo ſit Machina.* Quis crederet facile, a Scriptore literato, & ſolide docto, ac cæteroquin verum a falſo, veroſimile a dubio, adeo egregie dignoſcere gnaro, iniquum hoc, & quid impedit adjicere, inurbanum adeo judicium potuiſſe proficiſci. Vix decet ignorantiam logices aliis exprobrantem peccare in regulam tritam adeo, & tyronibus logicis notiſſimam quod *a particulari ad univerſale non valeat conſequentia.* Ruri nato Auctori, ſi ruri degiſſet per omnem vitam, vitio non verti poterat plebejam vere argumentandi rationem Medicis propriam habere, eos pene ab Eruditorum conſortio excludere, Empiricorum ſaltem notitia inſtructum eſſe, exiſtentiam dogma-

dogmaticorum ignorare. At non capio certe, qui in ea rerum peritia ipſum fugere poſſit, omnes in genere bonarum literarum ſtudioſos mature logicis præceptis imbui, in Gymnaſiis, ſpeciatim vero Medicinæ ſacris initiandos in Academiis non illotis manibus ea intrare, ſed poſtquam philoſophicis diſciplinis rite addiſcendis vacaverint, ad quas logica introitum parat, quasque nemo non hodie Medicis futuris æque utiles & neceſſarias habet, ac Juribus & Theologiæ ſeſe devoventibus. Ob unum illum nexum intimiorem Medicinæ cum Philoſophia factum eſt, quod Syſtema Medicum concinnaturus Illuſtriſſ. HOFFMANNVS id *Philoſophiæ Corporis humani ſani & morboſi* nomine inſigniverit, quodque neminem ad artis ſalutaris culturam admiſſu dignum habuerit Cl. SCHREIBERVS niſi Philoſophum, qui proinde in *Elementis* ſuis *Medicinæ* neceſſitatem Logicæ paſſim valde urget. Vix hodie ignorari poteſt, Methodo mathematica in Medicinam introducta, præter laudatos, multos alios Præſtantiſſimos Viros in ſcriptis ſuis eapropter ætatem laturis, viam indi-

caſſe certiſſimam, qua ad veritatem pervenitur, inter quæ vel ſola adeo concinno ordine & ſeveris demonſtrationibus adornata Bœrhaaviana neſciviſſe, aut cognitis honorem ſuum denegaſſe, pudeat quemvis Eruditum, licet non Medicum. Intelligunt bene, qui quam recentiori ætate adepta eſt ars ſalutaris elegantiſſimam faciem, norunt accuratius, quantum experientiæ, cui omnino ipſa omnia ſua fundamenta debet, tribuatur; quam circumſpectus, quam caſtus habeatur experiendi modus; quam amicum connubium cum eodem alat ratio; quam multum a Medico docto hac comite perpetuo uſo, differat piger & αλογος Medicaſter.

Non cadent ergo in illum, quæ hic ſolus meretur nimis præcipitis & injurii Auctoris ſcommata, eo certe iniquiora, quo magis omnes Medicos feriunt, eosque ſine exceptione quod turpiſſimum dictu, & falſiſſimum eſt, faciles Materialiſtas declarant. Bone Deus! quæ fata tandem expectanda erunt ingenuis illis Viris, qui vitam ſuam ſanitati humanæ conſer-

vandæ

ʼandæ & inſtaurandæ, inter innumera tædia, inter tot triſtes ærumnas impendunt, ægro hoc & ulceroſo ſeculo; in quo ſi bene agere ſibi eſſe pulcherrimam mercedem haud ſtatuas, præmia avaris manibus pſorum laboribus in noſtris terris decernuntur, honoreſque ut Romæ olim, ubi nter ſervos habebantur, fere denegari ſolent. Quam mire cum iis agunt ſoli mbo Auctores *Hominis Machinæ & hominis plus quam Machinæ!* quando ille præ liis ſagaces ſatis declarat Medicos, qui improba ſentiendi libidine per ſuam artem xcellant, religionemque omnem & culum divinum ponant illico, & ejurent; ic vero nimis rudes habet, qui ab ejusnodi erroribus decumanis ſibi caveant, ut ſemel irretiti ſeſe inde extricare vaeant.

Sane ut prius invidendam gloriam ipſis eutiquam parit, ita poſterius famam ipſoum valde lacerat & lædit, cui vindicanæ inſerviet ſpero præſens libellus, quem unc non certe abjicio, ſed potius duplicem in finem evulgare audeo, ut pateat ecus ſentientibus, nec ad male ſanam ſa-

 pien-

pientiam, nec ad deſidem ignorantiam abducere Medicinam, ſed habere Cultores ejus paulo ſagaciores, quo ſeſe a perverſis hypotheſibus tutos præſtent, earumque graſſantem epidemiam impugnent, & avertant. Ex inferioribus ſubſelliis ſurgens ego confiſus bonitati cauſæ, ſi mea vel obiter pervolvere dignetur Auctor, paulo aliter ipſum de Medicis ſenſurum, miſerumque illud quod eum tenet præjudicium poſiturum credo. Cogitet autem obſecro, quæ forent a SVITENIO quodam aut HALLERO vel SCHREIBERO prolata! Laudo ſincerus par pari referre abjectum ratus, quæ inter alia ſolida & egregia ſcripſit de materia prorſus ad cogitandum inepta, licet de dotibus ejus diverſa pauliſper ab ejus placitis ſtatuam. Perplacent quæ de origine mundi & hominum, deque neceſſaria exiſtentia entis ſummi a Mundo ſegregati, de illius cultu, de vera virtute in Atheos non cadente, de lege naturali a Deo oriunda expoſuit. Non abhorrent vero ab iisdem quæ nobilioris Metaphyſicæ, Ontologiæ & Theologiæ naturalis Doctores moderni adſtruxerunt elegantiſſime, nixi

certe

erte fundamentis ſolidiſſimis, ex quo
empe Metaphyſica deſiit eſſe Vocabula-
um nominum millenarios complectens
uibus nullæ ideæ reſpondent, quale bo-
am partem fuit Ariſtotelica. Illi vero
oćtiſſimi Viri, maxime cum diu ante
uctorem res easdem ex iisdem princi-
iis non ſine minori parciorive argumen-
orum pondere demonſtraverint eviden-
ſſime, abſurdis principiis ad abſurdita-
s ducentibus prout ipſe falſo contendit,
on potuerunt fuiſſe uſi, neque ſeſe Eru-
tis dediſſe deridendos. Pertinebit mo-
us unionis Animæ & Corporis quem di-
erſa ratione concipiunt Philoſophi, quem-
ue nemo eorum ad finem ſeculi rite ex-
icaturus eſt, ad hypotheſes magis vel
inus probabiles; neque ignoratus offi-
et exiſtentiæ animæ, veritati inconcuſſæ,
uam ipſe egregie, at vix aliter adſtruit,
uam recentiores Metaphyſici. Lites
tem ejus cum iisdem meas facere nolo,
quus potius debitis honoribus excipio
nnia docte & præclare ab Auctore di-
a, atque cum contra communem ali-
em hoſtem noſtrum dirigantur, defe-
ubus meis & hiatubus ſupplendis ipſi-
que

que tanto certius prorſus conficiendo inſervitura fore, in ſinu gaudeo. Velim autem ut Medica a ſe non Medico neglecta prorſus, & pro viribus a me jam ſuppeditata neutiquam invalida habeat, ipſamque machinam humanam exactius cognitam hominem plus eſſe quam machinam evincere luculenter, ſincerus & bonus largiatur, ac pauliſper erubeſcens tacitam canat palinodiam.

Libellum nunc ad examen revocare aggredior, qvem dum conſcripſit anonymus Auctor, bonam partem ni fallor poterat ſuperſedere adhibitis laboribus. Nil qvippe novi in ſe fovent fœcundiſſima ad impietatem propagandam ſemina, quæ plenis manibus ſpargit, primusque certe haud eſt, qui eadem per Orbem diſtribuere & communicare cum Obtrectatoribus religionis auſus fuerit. Antiquatos nempe ipſiusque Epicuri & Sadducæorum errores ſaltem renovat, crambemque toties coctam & recoctam apponit, flore ſuo intuentium oculis blandientem, & ſi ita dicere licet ſuperfuſo gallico juſculo guſtui ſeculi accepto palatum invitantem, ſed at ſæpe pro inſulſa & inſipida ab Eruditiſſimis hominibus declaratam. Viſus ſcilicet mihi ſum, ut multa alia ejusdem commatis taceam, qvoties Auctoris cogitata perpendi, varia iis ut ovum ovo ſimilia, eademque prorſus offendiſſe in Epiſtola itidem gallica, materiæ cogitandi facultatem adſcribente, quam Beatus REINBECKIVS notis confutantibus inſtruxit, cujusque occaſione elegantiſſimum libellum *de Anima rationali ejusqve immortalitate* conſcripſit. Adeo nempe Auctoris non ſatis cogniti *Materia cogitans* & noſtri *homo machina* ſibi invicem reſpondent, adeo ſibi

ſimile lepidum facetum & ingenioſum ſcriptionis genus exhibent, ut ex eodem calamo defluxiſſe utrumque ſchediaſma, aut binos Auctores nobile par Fratrum exiſtere juraveris. Non tamen efficient latere volentes in tenebris, ut ea quæ in apricum poſita ſunt a Viris doctiſſimis & in omni ſcientiarum genere verſatiſſimis, luce ſua deſtituantur, cavillationibusque, riſubus, & ſibilis ex voto illorum excipiantur. Accedam ad ipſam rem propius, & ſenſa Auctoris noſtri lege mihi indicta propriis ejus verbis expreſſa præmittam.

I.

Non ſufficit Sapienti indagaſſe Naturam & Veritatem, ſed audere debet ipſam publice eloqvi, non obſtantibus tot præjudiciorum mancipiis. Syſtemata Philoſophorum de Anima hominis, ad duo redigi poſſunt, Materialiſmum, & Spiritualiſmum.

Metaphyſici qvi aſſeruere qvod materia poſſit habere facultatem cogitandi, rationem honore ſuo non defraudarunt, ſaltem male ſententiam expreſſerunt. Vani ſunt qvi quærunt an materia poſſit cogitare, ſine conſideratione alia, qvam defixa in eadem ipſa.

Leibnitiani cum ſuis monadibus magis materiam ſpiritualiſatam qvam Animam materialiſatam exhibuerunt, & male eas definire aggreſſi ſunt, cujus natura nobis eſt abſolute incognita.

Carteſiani & Mallebranchiſtæ eundem errorem patrarunt. Admiſerunt duas diſtinctas ſubſtantias, qvaſi eas utrasqve vidiſſent.

Sapien-

Sapientiſſimi dixerunt quod Anima neqveat cognoſci niſi lumine fidei, & jus ſibi tribuerunt examinare in Scriptura Vocem ſpiritus, qva utitur qvando de Anima loquitur. Sed in inqviſitione & explicatione ſi non conſentiunt cum Theologis, non mirum, nam & hi ipſi non conſentiunt inter ſe.

En qvæ reſultant ex ipſorum conſiderationibus: Si datur Deus, is eſt Auctor Naturæ, qvemadmodum & revelationis. Dedit unam, ut explicetur altera, & rationem, ut inter ſe combinentur.

Diffidere cognitioni hauſtæ ex corporibus animatis, idem eſt ac conſiderare Naturam & revelationem quaſi duo contraria ſeſe deſtruentia, & abſurde affirmare Deum ſibi contradicere, in diverſis operibus, & nos fallere.

Si vero datur revelatio, non poteſt contrariari naturæ. Per naturam ſolam detegere licet ſenſum verborum Evangelii, cujus ſola & vera interpres eſt experientia. Alii Commentatores hucusque confuderunt Veritatem. Judicemus duce Auctore ſpectaculi Naturæ de Lockio dicente: Mirum eſt hominem animam limoſam ſtatuentem rationem judicem declarare myſteriorum fidei; nam qvalis idea foret chriſtianiſmi, ſi rationem ſeqveremur.

Hæ conſiderationes & nil illuſtrant reſpectu fidei, & objectiones ludicras formant, contra Methodum eorum qvi ſe interpretari poſſe putant ſacras literas.

Excellentia rationis non dependet a magno ſed inani vocabulo Immaterialitas: ſed ab ejus vi, ambitu & perſpicientia. Anima limoſa infinitas ideas qvaſi uno ictu oculi perſpiciens, præſtaret anima ſtupida, ex pretioſiſſimis elementis coalita. Non erubeſcendum cum Pli-

nio propter miſeriam noſtræ Originis, viliori adhuc ſi ſatus eſſet homo, eſt tamen entium perfectiſſimum. A qvacunqve origine pendeat ejus anima, eſt tamen laudabilis, modo fuerit pura, nobilis, & ſublimis.

Secunda methodus ratiocinandi Pluchiana vitio laborat. Nam ſi habemus ideam fidei contrariam clariſſimis principiis & evictis veritatibus, in honorem revelationis & ejus Auctoris credendum eſt, ideam illam eſſe falſam, nosque nondum cognoviſſe ſenſum verborum Evangelii.

Ex duobus unum admittendum aut & natura & revelatio nobis illudit, aut experientia ſola poteſt rationem fidei reddere.

Apparere feci qvam vitioſa ſit Pluchiana ratiocinatio, ut probarem primo ſi detur revelatio eam non ſufficienter demonſtratam eſſe Auctoritate Eccleſiæ, ſine examine rationis; Secundo ut in tuto collocarem methodum eorum qvi meo ductu voluerint interpretari res ſupranaturales, & incomprehenſibiles, per lumen naturæ cuivis datum.

Experientia itaque & Obſervatione ſolis ducibus hic utendum. Hæ vero inveniuntur innumeræ in faſtis Medicorum Philoſophorum, haud vero Philoſophorum non Medicorum. Illi labyrinthum hominis indagarunt, & latentia oculos abſcondita detexerunt mirabilia. Soli illi deprehendunt animam in ſua miſeria, & magnificentia. Solis ergo Phyſicis hic loqvi fas eſto. Taceant Theologi de Subjecto, qvod directe contemplari potuerunt nunqvam, diſtracti prorſus aliorſum per ſtudia obſcura, ad mille præjudicia, qvæ eorum ignorantiam Mechaniſmi corporis adhuc augent. Interim nos licet optimis ducibus electis tamen obſtacula offende-

offendemus. Homo eſt Machina adeo compoſita ut ſtatim clarior ejus idea non pateat. Eapropter omnis inqviſitio Philoſophorum intellectus ope a priori fuit vana. Igitur ſaltem a poſteriori, qvaſi transverſim per corporis organa animam extricando, maximum probabilitatis gradum de natura hominis licet attingere.

Seqvamur itaque experientiam, linqvamusque hiſtoriam omnium vanarum opinionum philoſophicarum. Cæcutiunt illa carentes. Miremur labores inutiles magnorum ingeniorum Carteſii, Mallebranchii, Leibnitii, Wolffii, qvorum profundæ meditationes & maxima opera omni deſtituuntur fructu. Videamus non qvod cogitatum eſt ſed qvod cogitare debemus in reqviem Vitæ noſtræ.

*
* *

Fallor maximopere, aut conſenſu Lecturorum omnium, quæ invicem hic commiſcet magis, quam concinna brevitate & aphoriſmis ut videri vult incluſa proponit Autor, nec clare ſatis eloqvitur, nec nexu & ordine decenti exhibet: ſine ſufficienti demonſtratione aſſerens qvicqvid placet, & pro lubitu rejiciens quæ in rem ejus non videntur facere, citationesqve & librorum & locorum qvæ indicare decebat, prorſus omittens. Id interim conſtat, ipſum dicendorum & deducendorum unicum principium ſtudium naturæ & experientiam ſtabilire, aliaqve omnia ex qvibus Animæ humanæ exiſtentia poterat adſtrui, remota velle. Diſplicere eapropter ſibi profitetur & Philoſophos & Theologos, qvos utroſqve audire recuſat, illos qvod ratione & intellectu indagare aggredian-

grediantur a priori animæ indolem, hos qvod ad revelationem provocent, cujus ſi detur, ne qvidem ſenſum aſſeqvantur; minus decenter eam interpretari gnari. Dum autem ſua adeo extollit, Veritatis duce experientia inveniendæ & publice commonſtrandæ magno promiſſor hiatu, ſæpe ſæpius per omnem libellum fidem haud exſolvit, multa ſaltem probabilia & poſſibilia in eo agnoſcit ipſe, & non niſi pro talibus venditat, qvæ vero rite expenſa valde non raro improbabilia & impoſſibilia deprehenduntur: ut nil dicam ipſum negligentem dubia prorſus & incerta toties declarare, quæ ſerio inqviſiviſſe valde intererat, atque ad invincibilem ignorantiam Lectores ablegare, qvando demonſtrationem rigidam expectare & poſtulare poterant. Omnibus vero his non obſtantibus tamen, qvod mirum dictu eſt, Syſtema condidiſſe in fine opuſculi ſibi videtur.

Metaphyſicos cur laudet & ſimul taxet non ſatis intelligo. Homo cogitat: qvoties igitur diſceptatur an cogitatio ſit materiæ vel entis immaterialis, pro hoc militantibus incumbit omnino probare id qvod in homine cogitandi facultate præditum eſt, non poſſe eſſe materiale, tumque idem eſt ac ſi probaſſent ens cogitans neceſſario debere eſſe immateriale. Non aliter autem hi ſeſe gerere poterunt, quam ipſam in ſe contueri materiam ejusque omnia attributa cognita examinare ſedulo, cum iis conferre perceptionum, abſtractionum, ratiocinationum &c. indolem, atque inqvirere num hæ ex illis attributis deduci valeant nec ne. Si deinde poſterius evincatur, tum incumbet ſecus ſentientibus obſervationum phyſicarum ope qvas crepant, demonſtrare contrarium, aut alias do-

tes

tes materiæ indicare, ſi concedere cogantur notas hactenus explicationi cogitationum non ſufficere. Ni vero hoc præſtiterint gloriari de ſuæ ſententiæ prærogativa neutiqvam poſſunt, qvicqvid demum vocali impudentia moliantur.

Leibnitiani cum ſuis monadibus ad elementa corporum & principia ſimpliciſſima deducti, tanto clarius perſpexerunt exiſtentiam & ſimplicitatem entis cogitantis, & in eodem definiendo peccarunt minime.

Carteſius cum ſeqvacibus ipſa rerum obſervatione eo pervenit, ut ea qvorum homines nos conſcii ſumus ad aliud principium revocaret, quam illa qvæ inſciis nobis ſuccedunt, eaqve propter duo diſtincta a ſe invicem Hominis principia rectiſſime adſtruxit, omnibus certe Materialiſtis gravis.

Dudum autem præſtantiſſimi Theologi qvos inſontes amarulento multoqve atrociori odio Auctor proſeqvitur, ac Hannibal olim Romanos, qvosqve homines viles & inutiles habitos, hinc inde mordaci ſale & ſcommatibus liberaliter conſpergit, dudum inqvam illi exploſa dederunt omnia illa, & longe plura dubia qvæ ipſis mota ſunt ab ejusdem cum Autore farinæ hominibus, revelationemqve cum ratione minime pugnantem adeo extra omnem virulentorum telorum jactum collocarunt in ſublime, ut audacia & vi ſummis vibrata ipſam nil feriant. Vix autem licitum prudentibus crediderim nondum conſiderata curatius, nondumque expugnata eorum argumenta ſtatim leviter rejicere, & præfracte ſibi demonſtrandi principia ſeligere unica, aliorum rectitudine & ſoliditate interim haud corruente. Habet hoc veritas, ut qvo magis ardua complectitur, eo magis difficilis

& ſubinde pene inſuperabilis viſus ad eam obſervetur acceſſus, nec qvovis tramite, nec qvibusvis ducibus ad ejus cognitionem itur, ſed ſelectu opus, & via regia quærenda ſedulo, qva ſe omnem directo quaſi obtutui conſpiciendam præbet. Neque aliqvem ſemel ad excelſum ejus ſolium admiſſum fulgentiqve ejus jubare perfuſum movebunt per loca tenebricoſa & devia vagantium, qverentiumque ſtrepitus, ſe neſcire ejus præcellentiam, ſe invenire neqviviſſe aditum, ſe claro ſplendore radians lumen nondum perſpexiſſe. Hæc ſi ſerio & ſine præjudiciis trutinaſſet ignotus Auctor, non moto ſibi faſtidio alto ſupercilio negligendam duxiſſet doctorum & cordatorum Theologorum manuductionem intentis digitis certam & ſecuram methodum commonſtrantem, qva ad Animæ humanæ exiſtentiam pervenitur. Affectum prodit dum ab illis cavendum Lectoribus inculcat, nil movet juſti verique ſtudioſum qvis dixerit, ſed qvid dixerit. Haud certe inanis habenda erit ſuſpicio e re forte videri Auctori ejusqve vitæ qvo delectatur generi, ut nulla daretur anima dum callide ab iis dehortatur qvibus animarum cura tradita eſt, qvibusqve adeo cum umbris & larvis negotium intercederet, ſi exiſtentiam ipſarum non indubiam haberent, evictamqve reddere haud fuiſſent conati. Ea doctioribus eorum hodie mens non eſt qvod ſolo lumine fidei anima cognoſcatur. Unus rei teſtis ſufficit laudatus REINBECKIVS, qvi certe exuto fere Theologo, ſolius rationis lumine uſus ejus exiſtentiam commonſtravit qvam ſolidiſſime.

Qvid vero varii ſignificatus qvi voci ſpiritus in ſcriptura ſacra tribuuntur ab interpretibus, ſi diverſa etiam

etiam ſenſerint nocerent animæ? qvam ſolam ſæpe ea indigitari conſenſu unanimi profitentur omnes, & ſinguli.

Qvi Naturam & gratiam novit, ac utramque a ſe invicem diſtingvere didicit, ſolus intelligit qvousqve valeat revelationi minime repugnans ratio.

Finem autem primarium revelationis ſalutem noſtram æternam, & mediorum ei olim obtinendæ hic ſervientium, corruptæque noſtræ naturæ & delapſæ ab excelſa ſua indole in unicum miſeriarum ſolamen gratioſe indultorum ingenium ignorat, qvi naturam & experientiam interpretem vult ſenſus verborum Evangelii, & myſteriorum ad ſalutem facientium, qvam experiundo nemo inveniſſet unqvam, cum ad eam impetrandam tota Natura haud ſufficeret. Non interim ſe deſtruunt Natura & revelatio! Continet ſacer codex doctrinarum naturalium elegantiſſimum theſaurum qvem in Phyſica ſua ſacra ſplendidiſſimo opere exhibuit Illuſtris Medicus SCHEVCHZERVS. Habet vero etiam ſupra omnem naturam evecta multo ſublimiora, ac Auctore naturæ digniſſima quæ utut incomprehenſibilia, in dubium vocare non licet nobis, qvi naturalia ne qvidem perſpicimus, & non ſine abſurda arrogantia ſupranaturalia intrare auderemus. Neqve data eſt hominibus erudiendis ſed ſalvandis revelatio, a Deo ſumme bono, qui non fallit, ſed qvo ſe vertant neſcios inſtruit, viamqve unicam lumini naturæ ignotam indicat, qva ad ſupremam felicitatem itur.

Aut plane ſilentio prætereunda & negligenda Auctori fuiſſet revelatio, aut aliter de ea ſentiendum erat.

 Neuti-

Neutiqvam deinde revelationis exiſtentiam & Veritatem ad Auctoritatem Eccleſiæ tantum deferunt & in hac ſola acqvieſcunt ſagaciores, qvi ipſo ſanæ rationis ductu eam dari convincuntur. Qvid complectuntur abſoni Præſtantiſſimorum Theologorum Philoſophorum dogmata, qvando exiſtente Deo qvoqve religionem & naturalem ad eam obligationem probant, qvando culpa hominis ex ejus natura & ex ipſa Theologia naturali divinisqve attributis ſtabilienda, nullum in ea inveniri expiandæ & reparandæ culpæ remedium qveruntur; qvando qverentes Dei tamen ſummæ bonitati confiſi revelationem poſſibilem & probabilem declarant; qvando eam contineri in ſacra ſcriptura affirmant, hujusque veritatem ex amicitia cum Theologia naturali, ex infucatis criteriis, antiqvitate, teſtimoniis perpetuis omni exceptione majoribus & hoſtilibus adeo, ex auctorum ſinceritate & conſenſu, ex majeſtate & vetuſtate ſtyli, ex vaticiniis eventu comprobatis adſtruunt (*). Sane qvodſi etiam confutatus a WOLFFIO magni hominis Theologus BVDDEVS vere pronunciaſſet, Animam immaterialem & immortalem ratione ſola duce, neminem poſſe aſſeqvi, an jure ſuo rideretur ille, qvi de revelati verbi exiſtentia & Veritate ratione duce convictus, vel ea ſola ſuffultus Animam dari agnoſceret & admitteret? ego qvidem haud crediderim. Sed culpandus forte videor, qvod anguſtiſſimos cancellos qvibus mea tenuis Medici peritia conſtringitur, excedere audeam, armisqve alienis dimicare ſuſtineam, minus-

(*) Vide de his omnibus doctiſſime agentem Venerabilem noſtrum Burgium in aureo libello inſtitutionibus Theologiæ theticæ earumqve præcognitis.

ninusqve dextre ea geſtare gnarus inſufficientes vires rodam, cauſamqve ſummam pro ſua magnitudine & dignitate minime propugnem. Linqvam igitur andem lubens & de Philoſophis adnectam adhuc auciſſima!

Qvis vero æqviorum & ſagaciorum hominum unqvam largiturus eſt, omnibus ſuis lucubrationibus amen nihil egiſſe omnium ætatum Philoſophos & inter recentiores CARTESIVM, MALLEBRANCHIVM, LEIBNITIVM acutiſſimumqve L. B. de WOLFF n demonſtranda anima; ſed labores ipſorum fuiſſe utiles & inanes, qvemadmodum impudenter affirnare non veretur Auctor. Qvis ſincerus rerum arbiter, qvis competens Judex gratis & ſaltem exercitii temporisqve forte fallendi cauſa conſcriptam conedet *Pſychologiam empiricam & rationalem* Wolffianam. Monſtret in ea commiſſos nævos temerarius oſtis animæ, eloqvatur qvid in ratiocinandi methodo vel rigidiſſimo examine perluſtrato deſiderandum putet! & qvia ipſi in hoc argumento nullæ aliæ denonſtrationes arrident, qvam illæ, qvæ experientia duce a poſteriori deſumuntur, cur eas adſumere derectat, qvæ ex indubia experientiæ fide qvam ſolerriſſime deduxit Sapientiſſimus ævi noſtri Philoſophus? Atque qvid demum a Veritate alienum continet inconcuſſis principiis nixum illius Syſtema *Theologiæ naturalis* ens abſolute neceſſarium, a ſe exiſtens & æternum, extra omnem dubitationem collocans, atqve ejus attributa nexu & ordine concinno & neceſſario deducens.

Sed dictat Auctor & jubet, tandem ad Medicos me convertam, qvos corporis ſolius curam gerentes

amicos

amicos ſuæ hypotheſi futuros ſperat, qvorum pulvillis & potiunculis cum anima certe nullum commercium eſt, qvibus pharmacorum ſuorum ope rationis vacillantis uſum redire, mentisqve turbulentæ & delirantis antea ſerenitatem impetrari obſervantibus, ſurgere ſententia poterat, rationem & animam corpori aut ſubtiliori minimum ejus materiæ inhærere, cum remediorum actione qvæ non alia niſi mechanica eſt, aliter mutari in melius neqviviſſet. Aliter vero cenſent omnes, qvi intelligentia & perſpicacia præcipue pollent, Doctiſſimorumqve Virorum elogia conſenſu eruditi Orbis adepti ſunt. Namqve ſi experientias cumulatiſſimas conſulamus, ſi qvæ docet evidenter experimentalis Phyſica adſpiciamus accuratius, ſi inventa anatomica noviſſima hisqve ſuperſtructam Phyſiologiam vocemus in ſubſidium, ſi qvæ habet cultior Mechanice attendantur qvam diligentiſſime, conſtabit tamen perſpicue, ex his fundamentis eqvidem deduci egregie phænomena qvæ deprehendunt in corpore humano, minime vero exinde explicari facultates ſingulas qvas obſervamus in homine. Ego qvidem Mechaniſmum corporis noſtri amans valde, & in artis exercitiis ejus notitiam maxime valentem expertus, atqve ea qvæ de ſapientibus Animæ conatubus ad ſanitatem conſervandam & reſtituendam, motibusqve provido conſilio ad morbos expugnandos directis, fabulantur Naturæ idololatræ ad ſvavia inſomnia relegans, nihilominus non obſtante Machina humana ſummo artificio condita, Animam ſeorſim exiſtere certus & ſecurus affirmo.

Optarem omnino vehementer, ab inſonte Medicorum qvantumvis Mechanicorum familia deterſas illas

is maculas, a qvibus adeo Vir ſummus Illuſtris
VOLFFIVS illos haud immunes declaravit, Medicos
præcipue ad Materialiſmum faciles eſſe aſſerens (*).
A nullo genere hominum prorſus abeſt malitia &
mprudentia, valde tamen fruſtraneum opus is opi-
ior aggrederetur, qvi Viris præſtantiſſimis, qvorum
mmortalibus laboribus mechanica principia poſt in-
entum ſangvinis perennem circuitum in Medicinam
nvecta ſunt, Animæ exiſtentiam unqvam in dubium
ocatam fuiſſe probare ſatageret. Nemo Venerabi-
ia Nomina BELLINVM, BAGLIVVM, LANCI-
IVM, RAMMAZZINVM, FREINDIVM, LOWERVM,
ITCARNIVM, THOMSONVM, HEQVETVM, BOH-
NIVM, REGAM, BOERHAAVIVM, HOFFMAN-
NVM, HEISTERVM, HAMBERGERVM, van SVI-
TEN, BERGERVM, WALTHERVM, HALLERVM,
VERLHOFIVM, SCHREIBERVM, GORTERVM ut
lios taceam hac labe contaminata & infamata oſten-
let. An ergo celeberrimis his Medicinæ Mechani-
æ Statoribus, qvos omnes diurno nocturnoqve la-
ore per integrum vitæ decurſum & ad extremam ſe-
ectam ſollicite meditatos fuiſſe leges motuum in cor-
oribus humanis obvias conſtat, ita nihilominus im-
oſuiſſe fabulam de Anima credibile eſt, ut eam ſe-
nes & occæcati paternis avitisqve narratiunculis,
reduli & ineptientes gratis admitterent, & ad po-
teros propagarent? Nemini methodi Amatori, ac
igidarum demonſtrationum cupido & urgentiſſimo
edere ſagacitate crediderim Celeberrimum SCHREI-
ERVM, neminem eouſqve de omnibus prudenter
dubitan-

(*) In den vernünfftigen Gedancken von Gott, der Welt und der Seele, Parte II. §. 303.

dubitantem mihi finxerim, adeo ut pro ſua qva i tenuitatem meam ferebatur propenſione & amiciti aliqvando mecum hæſiturum perpetuo memoria, ha beret colloqvium: *an Medicina ſit poſſibilis?* At ver nihilominus dum nullum adhuc dari in Medicina ab ſolutum ſyſtema qverebatur, elementa Medicinæ phy ſico-mathematica, qvibus ipſam certiorem redder allaborabat eapropter conſcribere aggreſſus, totum qvod bene notari velim, huic propoſitioni ceu baſ ſuperſtruxit: *In Homine datur Anima.* Plura loqvar & memoratu digniora: ita nempe ſuæ exiſtentiæ con ſcias fuiſſe eruditiſſimas Illuſtrium Medicorum Ani mas, ut mentem ſuam aperte ac ſincere, & verbi & ſcriptis profiterentur, & factis inſuper declararent eo tempore, qvo ſummum & ſingularem valorem ha bere creduntur effata & geſta Mortalium. Non ob ſtitit Illuſtri HOFFMANNO Medicina mechanica, ab ipſo clarior & elegantior reddita, acriterqve con tra renitentem Celeberrimum Collegam defenſa, qvo minus aliqvando gravi morbo decumbens, & Machi næ ſuæ deſtructionem qvotidie ante oculos habens victuram tamen poſt ejus interitum Animam convi ctus crederet, eoqve tempore elegans ſcriptum *Summam Religionis chriſtianæ* in chartam conjiceret, qvod dein inter Medicos Theologos ipſi perqvam honorificum locum conciliavit. Et qvi ſumma inge nii perſpicacia eo pervenit ultra omnes laudes eve ctus BOERHAAVIVS ut Natura adſpectui ipſius ob verſans viſa ſit omnia velamenta qvibus aliorum vel luſcorum vel minus oculatorum obtutui abſcondita manet poſuiſſe illico, atqve ipſi ſoli ſeſe nudam & ſimplicem conſpiciendam exhibuiſſe; qvi ſi ullus

Morta-

Mortalium corporum naturalium vires & motus proria & aliorum induſtria adjutus ſagax inveſtigavit, & elix aſſecutus eſt; qvi in abditos receſſus Machinæ iumanæ penetravit profundius; nunqvam hac ſola bſolvi hominis eſſentiam vel ſomniavit. Imo vero contrario potius ſententiam ſuam qvam Juvenis 22. nnorum Theologiæ tum adhuc operam navans in iiſſertatione qvadam inaugurali Senum calculo & enomiis ad invidiam cohoneſtata *de Anima & Corpore* lus qvam virili robore munitam contra ſophiſticas echnas Hobbeſii & Spinoſæ promulgarat (*); illam nqvam ſententiam Medicinæ poſtea totum ſeſe manipans alta mente repoſtam geſſit, conſtanter doctriis ſuis ſervavit intertextam, vitæ ſumma integritae expreſſit, & morte appropinqvante mira prorſus pe & fiducia obſignavit. Non certe cum tremendo k deſperato morbi genere nullum levamen indulgenes, per multas hebdomades conflictatus, inter inandos angores, & imminens oppreſſo pectori omni nomento inſuperabile & crudele præfocationis periulum, cum Amico ſuo Cl. SCHVLTENS elegantiſſma miſcuiſſet philoſophica & theologica colloqvia, qvibus optandum eſſet ut omnes in audaci & profaa ſentiendi libertate Heroes interfuiſſent) (**): ipſive ſe adhuc Animam nunc abitum parantem ſpiriım immortalem & ſubſtantiam prorſus diſtinctam a corpore

(*) Vide Nouvelle Biblioteqve Janvier 1739. pag. 10.

(**) Vide Nouvelle Biblioteqve l. c. p. 51. ubi ipſiſſima hæc verba leguntur: Il ſeroit à ſouhaiter, qve tous les pretendus eſprits forts en puiſſent etre temoins. Confer Orationem Cl. Schultens in memoriam Bœrhaavii poſt fata ejus habitam.

corpore habere, indicibili voluptate fuiſſet profeſſu
ſi deſiturum Bœrhaavium inter inſtantes machin
corporeæ ruinas crediſſet. Qvalem Animi magn
tudinem in mortis articulo, qvalem dulcem euth
naſiam, qvalem placidiſſimam analyſin adrepente d
cretoria illa horula, an elargitura ſit ſterilis & evan
da de Materialiſmo hypotheſis Auctor *Hominis M*
chinæ olim videat. Atqve Tu bis Apollinis Fil
Tu invidenda Helvetiorum Gloria! Tu his & ſup
rioribus encomiis qvam qvæ tibi tribuit favorem tuu
captans anonymus noſter Auctor, digniſſime HALL
RE! qvi ſenex olim non ſine innocenti animi elatio
ne enarraturus es Diſcipulis, Te qvondam audiviſ
BOERHAAVIUM an lecto libello barbari Tui Conte
ranei a Præceptoris mente hac in parte recedes
Nimis opinor vel ea qvæ in notis exqviſitiſſimis a
Prælectiones Bœrhaavianas de ſenſibus internis com
mentatus es, qvemvis lecturorum docebunt, quæ d
Anima Tibi ſententia ſedeat, tantumqve abeſſe, u
ejus operationes ad corporis mechanicas functione
referas, ut potius utrasqve toto a ſe cœlo differre e
conſtanter diſtinctas Tibi haberi, luculenter com
probes. Sane ſi editam jam ſuperiore Anno *Phyſi*
logiam Tuam perlegiſſet Auctor, multa ibi inveniſſe
penſitatu digniſſima, qvæ eum a pruritu impugnan
di exiſtentiam Animæ, ſpeqve hac ratione gratiam
Tuam ineundi revocare poterant. Neqve poſſum
aliter qvin ſumma cum Voluptate vocem in memori
am, ex Poematibus tuis qvorum ditiſſimam & limpi
diſſimam venam toties mecum habitans laudavi, illa
qvæ *rationem, ſuperſtitionem & incredulitatem*, ac de
inde *Originem mali* arte & judicio ineffabilibus expo
nunt

nunt. Ibi certe Poeta incomporabilis Tibi in figmentis haud places, ſed qvam ſeveriſſime exiſtentiam ſpirituum, Dei, Angelorum, Animarum humanarum urges, atqve perfectionum gradus qvibus a ſe invicem disjunguntur, libertatemqve demum his divinitus conceſſam adeo in altum evehis, ut coacta & mechanica actionum neceſſitas omnis concidat. Atqve qvemadmodum Tu ne tantillum calculi paradoxis ſententiis Autoris *hominis Machinæ* adjicis, ita etſi multa is proponit ab experientiis deſumta & a veritate minime aliena nemo Medentum ſuam artem rite callens, rerumqve ſatis intelligens ſeſe patietur decipi, artificioſe, ſed falſo inde elicitis concluſionibus. Videbo nunc illas obſervationes omnes qvas pergens in ſe veriſſimas recenſet & cumulat, qvibusqve tantum tribuit; & præeuntem hic non ſeqvar, ſed ut tempori chartæqve parcam, eas exponentem potius comitabor ſtudio nil omiſſurus, deinceps vero perpetuo ipſa ejus verba præmiſſurus.

II.

Procul ire juſſis qvaſi profanis habitis Philoſophis & Theologis, propiusqve ad Medicos converſus memorabilia hercle phænomena coacervat, ſolerterqve & graphice enarrat, attendentes ſedulo toties in ſtuporem conjicientia, qvibus evincitur luculenter, ſolas corporis conditiones mutatas, ſtatim mutare omnes affectiones animæ, hasqve ſtatui præſenti corporis reſpondere exactiſſime. *Temperamentorum* varietatem non qvidem qvatuor humoribus cardinalibus ex Veterum ſententia excluſam, ſangvinique,

 phlegma-

phlegmati, bili flavæ & bili atræ ac craſi liqvidoru horum diverſæ debitam, ſed ex habitu & proportio ne definita inter ſolida & fluida corporis, motuqv humorum diverſo per vaſculoſum ſyſtema deducer dam, diverſos ſemper & individuales homines ſiſter mentis inclinationibus & moribus prorſus ſibi diſſ miles, Medicis notiſſimum; dudumqve hoc notav GALENVS: elegantemqve hujus argumenti occaſion diſſertationem *de Temperamento fundamento moru & morborum in gentibus* elucubravit HOFFMANNV in cujus tamen principio ſtatim animam a corpor organico diſtingvi cupit.

Neqve minus Medicis Practicis qvotidie obviun eſt, in morbis nonnullis Animam qvaſi ecclypſin pa ti, ac *apoplecticis* & *lethargicis* ægris fere extingv aut nullum minimum ſuæ præſentiæ ſignum edere cum e contra *Phreniticis* & *Maniacis* animas bina aut plures eſſe, ſuſpicari poſſet is, qvi ad ipſorur loqvacitatem & ferociam, ideasqve perverſas ac del rantes & inter ſe qvaſi dimicantes attenderit. M rumqve omnino videri debet Venæ ſectiones & e qvæ humoribus fluiditatem conciliant, & ſtaſes eorur expediunt, ſæpe ſæpius ex ſtultis hominibus rationa les iterum facere, ut adeo rectiſſime HIPPOCRATE pronunciaverit: *Opinor inter omnia qvæ in corpor ſunt nihil magis ad prudentiam conferre qvam ſangv nem qvi ſi in conſtanti habitu perſiſtit, conſiſtit & pru dentia, permutato vero eodem, concidit etiam prudenti*

Melancholicorum Anima mirum dictu qvam ab ſurdis & ridiculis non raro phantaſmatibus & delir mentis occupetur; ſæpeqve ſola tunc lienis & hepa tis obſtructio, iterqve ſangvinis denſi & immeabili

difficil

difficile per venæ portarum ſyſtema efficit, ut meticuloſi reddantur & puſillanimes, qvi antea erecto vertice proſpera æqva mente ferebant, adverſa immoti adſpernabantur.

De *Somno* qvæ habet Auctor licet qvotidie obvia ſint, notatu tamen haberi debent digniſſima. Adeo ille obtundit nonnunqvam & ſepelit omnes ſenſus, ut tormentorum fragorem non percipiat feſſi & ſecuri militis ſopita anima, qvando alius odio, avaritia, ambitione tortoribus vexatus inſomnes noctes abſumit. Certum qvoqve eſt Animam & corpus ſimul dormire, qvando ſangvinis circuitus per cerebrum lentus & placidus redditur, nullum vero qvieti locum eſſe, ubi rapidus per qvamcunqve cauſam & fortis per encephalum volvitur, animamqve ſola arbitraria ceſſatione a ſuis functionibus, maxime ubi tenebræ objectorum externorum in oculos actionem cohibent, noctisqve amica ſilentia ingruunt, pacare motum per interiora capitis, ſomnumqve ſvaviter ita invitare.

Atqve pauxillo *opii* ſumto inſveta Voluptate perfuſam, & dulciſſima reqvie recreatam homo ſentit ſuam Animam; ſi doſis paulo largior fuerit tranqvillitatem ſomnus excipit ſive voluerit ſive noluerit Anima, altoqve ſopore detento omnes ſenſus ita hebeſcunt & extingvuntur ut apoplecticum fere referat.

Qvam ſtupendos effectus *venena* qvædam permutando omnes rationalis animæ functiones edere ſoleant, nimis prolixum foret memoratu: Cicuta qvem ſtuporem, ſolanum qvalia deliria, qvales furores, hyoſcyamus qvam fatalem dementiam ſubito pariunt? Stramonii mica corpus humanum vix mutans ſenſationes, memoriam, ratiocinationem extingvit & abi-

git, animi pathemata ſiſtit, ſui oblitum hominem ſuſpendit & machinam fere ſaltem ſupereſſe ſinit.

Ad *cibum* & *potum* etiam cum Auctore accedamus! Loqvitur univerſalis experientia ex defectu utriusqve natum langvorem a corpore ad animam propagari, poſt ingeſtum vero nutrimentum mentis alacritatem redire, & inter epulas venas ingrediente generoſo vino aterrimas curas pelli, & mordaces diffugere ſollicitudines. Neqve minus conſtare arbitror victum ex raptu crudum & vivum Animalia reddere ferocia, opiparum ſocordiam & laſciviam inducere, craſſum & denſum alere ſtupiditatem & ignaviam.

Jejunis & bene paſtis qvam diverſa naſcitur animi indoles, ut non abs re Helmontius Animæ ſedem poſuiſſe videatur in Ventriculo. Mathematicus nodoſo problemate occupatus ante meridiem, ſibiqve ſolutionem pollicitus, ventre poſt prandium turgido de eadem ſibi diffidit, mentisqve aciem obtuſam qveritur. *Sobrietatem* aqvæ tenuis potu colentes, & heſterno hodiernoqve mero *ebrii*, qvam in diverſas cogitationes abripiuntur, qvam in diverſas trahuntur actiones! Qvam horrenda facinora patrat latrans in ſtomacho fames, ut propriis dentibus exuta omni humanitate in agnatorum & ſua viſcera ſæviant eadem excruciati.

Qvam abſurdi & abominabiles interdum appetitus *Gravidis* excitantur? qvantum *uteri furori* in prudentiſſimarum & caſtiſſimarum puellarum Animas & mores imperium, ut omni verecundia & honeſtate exuta, in abjectiſſimæ indolis proſtibula transformatæ videantur!

Et

Et ut diverſiſſimam animarum indolem qvam *ſexus* diſtingvit ad Auctoris ductum ſilentio non prætermittam, qvis tenellæ & delicatulæ fabricæ corporis & exqviſitiſſimo nervorum ſenſui & mobilitati non exacte reſpondere fœmellarum inconſtantiam, levitatem, puſillanimitatem ibit inficias? qvando Virorum pectora, ob firmiorem cerebri & nervoſæ ſyntaxeos compagem, audentia maſcula & robur inhabitat, ſapiensqve & deliberatum conſilium facta eorum comitatur, ita ut ſi ſecus ſeſe geſſerint, ſtatim turpi fœminei ingenii nota dehoneſtentur.

Atqve qvam longus latusqve panderetur campus ſi formam machinarum humanarum externam, *vultusqve* maxime ſpeciem in qva veluti in ſpeculo abdita & latens animæ indoles ſeſe conſpiciendam præbet attentius rimari contemplariqve luberet. Tanta propinqvitate ſibi invicem junguntur faciei ductus motusqve animi, ut mutuam conſenſionem probent evidentiſſime. Neqve falluntur unqvam ex fronte in rugas & ſtrias contracta, vel in amabilem levorem explanata, ex oculorum vel blanda & gratioſa, vel detorta in obliqvum acie, ex oris vel blando & modeſte ſuccincto, vel turpiter defluente habitu, habitantem in interioribus penetralibus affectum conjicientes.

Aer ſupereſt merito ab Auctore inter ea relatus, qvæ potentiſſime Animæ indolem permutant penitus, atqve diverſiſſimam reddunt. Adeo autem priſco tempore hoc ipſum jam obſervatione conſtitit, ut niſi omnia me fallunt VARRO alicubi animam dixerit *aerem ore conceptum, tepefactum in pulmone, fervefactum in corde, diffuſum per corpus.* Vix aliunde rectius omnium per tot habitati Orbis plagas gentium

genium, viresqve adeo & facultates mentis, ac inclinationes mirum qvantum diſſidentes & in diverſa tractas derivaveris qvam a Poli Genialis variante ingenio, ejusqve vel rigiditate vel fervore; vel blandiori & benigniori temperie. Qvin & clima mutatum efficit, ut ingeneratos animo patriosqve mores ponant homines, in peregrinam prorſus cœloqve ſub qvo habitant propriam indolem deſciſcant, inqve alios qvaſi homines vertantur, non ſecus ac plantæ acres & aromaticæ ſub æſtuoſo Jove creſcentes, alio ſolo inditæ, mitioremqve auram expertæ manſveſcunt; arborumqve fructus pro ſoli & atmoſphæræ differentia ſapore diſtingvuntur; floresqve modo nitidiores ampliores foliorumqve ordine numeroqve ditiores variis terrarum regionibus culti prognaſcuntur. Omnia autem hæc ab Auctore eleganter & docte enarrata phænomena, & plura forte, qvæ communi obſervatione conſenſuqve omnium attendentium vera deprehenduntur, ſane medico præcipue obtutui ſeſe veriſſima innumerabilibus vicibus objiciunt. Nec mea ſententia falleretur ille qvi a circulo ſangvinis humorumqve vario, ac diverſimode moto per cerebrinos potiſſimum canales, diverſaqve ſecretione, indole & progreſſu tenuiſſimi fluidi, qvod in encephali officina elaboratum nervos ingreditur, ſingula deduceret, licet credibile haud ſit, unqvam mortalium ullum, ſi ſagacitate & intelligentia reliqvos qvos ſol adſpexit ſuperaret omnes, rationem rerum harum proximam clare & perſpicue redditurum, harmonicumqve illum concentum qvi menti cum corpore intercedit dilucide explicaturum. Atqve hucusque certe nil aliud pro ſtabilienda & corroboranda ſua hypotheſi lucratus eſt

Auctor,

uctor, qvam hoc qvod vult, nempe diverſas condiiones corporis & animi ſeſe ſemper habere ut rela & correlata, qvod ipſum Medici certe eidem ambus qvod dicunt manibus concedere coguntur, nonum tamen ejuraturi exiſtentiam animæ. Namqve oſt tot ſolidas demonſtrationes ipſam evincentes varum nullam toto opuſculo Auctor deſtruit, nil x allatis omnibus aliud licet elicere, qvam dari unioem certam animæ cum corpore qvomodocunqve ea emum ſeſe habeat; neqve tuto inde licet concludee omnia illa phænomena ſoli corpori deberi, qvamis mutato corpore mutata appareant.

III.

Pergit nunc Auctor ad *Comparatam Anatomen* & ad *Paralleliſmum Structuræ hominum & brutorum*, ectiſſimeqve pro eximia ſua perſpicacia monet *cererum qvadrupedum fere idem eſſe ac hominum, ſi figuam & ſtructuram ſpectemus, ſaltem qvod homini ſit ajus & magis tortuoſum, deinde ſi cerebrum & corus ipſius calloſum inſpiciatur, ordine ſeqvi ſimiam, caorem, elephantem, canem, vulpem, felem, animalia nnium maxime ad hominis ſimilitudinem accedentia: vadrupedia hæc excipere aves, poſtea piſces qvi paum habent cerebrum & nullum corpus calloſum, tanem agmen claudere inſecta cerebro penitus deſtituta.* x his vero obſervationibus hæc tria fluere affirmat, *qvo plus animalia ferocia, eo minus illa habere cererum.* 2. *ea proportione qvo dociliora cerebrum hare majus.* 3. *qvo magis a parte rationis proficitur, eo agis perdi a parte inſtinctus.* Deinde ita pergit:

Non vero Volumen ſolum cerebri ſufficit docilitati, ſed ſimul ſolida ejus & fluida ſana ſint, & juſto inter ſe æqvilibrio polleant reqviritur. Imbecillibus intellectu humidum nimis & molle eſt cerebrum, ſtolidisqve vitio non ſemper oculis inqvirentium abſcondito laborat; Sed tamen cauſæ ſtoliditatis & varietatis animorum adeo parum in ſenſus incurrunt, ut Argos Anatomicos fugiant. Williſius obſervavit qvasdam differentias ratione corporum ſtriatorum protuberantiæ annularis ut & innatibus, teſtibus &c. in homine & brutis, qvæ omnes cum iis qvas in vaſis & nervis obſervare licet, non poſſunt eſſe gratuiti Naturæ luſus. Probant minimum neceſſitatem boni & completi organiſmi, cum in toto regno animali inter vires corporis & ſagacitatem animæ ſemper detur relatio. Cauſæ in medium productæ analogice conſideratæ ſine dubio diverſitatem docilitatis inter nos & Animalia producunt, licet nexum cauſarum & effectuum per obſervationes rudes nimis nec ſatis ſubtiles aſſeqvi neqveamus.

*

* *

Reſpondent Auctoris de Cerebro hominis & Animalium brutorum obſervationes, ut Phyſicorum & Medicorum omnibus qvas tranſcribere nil juvat, ita apprime Bœrhaavianis, *cerebrum qvoad magnitudinem ſemper in animalibus eſſe pro ratione ingenii, homini maximum, reliqvisqve animalibus qvo minus humani qvid habent eo minutius datum fuiſſe* aſſerentis: ac adjectis ad hoc notis Hallerianis (*). Vaſtiſſimum inter

(*) Prælect. in inſt. ad §. 599. & 600. Tom. IV. 580. 598.

r aqvatilia animal balæna molis ſuæ reſpectu exiguo ſtruitur cerebro, ferociſſimus Leo valde parvo, llida & ingenioſa ſimia ſat magno. Ut in hominiıs phreniticis, maniacis, melancholicis, ita & in tars ingenio, ſtolidis, fatuis interdum ægrum omnino valde recedens a bona naturaliqve indole cerebrum etexerunt extiſpicia, qvalia apud BONETVM, in *Miſcellaneis Naturæ Curioſorum* & alibi deſcribuntur; æpe tamen nimis ſubtile in nervorum filis aut craſi otuqve nervoſi liqvoris fuit vitium, qvam ut ab natome in apricum poſſet deduci. Qvæ deinde ex ILLISIO allegant, diverſa in hominum & brutoım cerebro, nituntur optimi Viri obſervationibus repetitis ſectionibus cadaverum enatis, qvas maxiam partem diligens aliorum inqviſitio confirmavit. robant hæc omnia omnino organiſmi & mechaiſmi cerebri neceſſitatem & præſtantiam. At qvod go probe notari velim, licet cum VIEVSSENIO, LANISIO aliisqve qvibusdam Auctoribus qvibus paulo iverſa placent is auſus ſit, imaginationi, memoriæ, nſui communi, ſua certa loca & domicilia in cerero aſſignare, & in corporibus ſtriatis perceptionis, corpore calloſo imaginationis, in protuberantia anulari animi pathematum, in natibus inſtinctus naıralis ſedem conſtituere, nulla tamen experimentoım fide, nullo argumentorum pondere ſuam adſeronem ſtabilivit. Imo vero potius pro ingenii ſui rbitrio eadem fingendi licentia hoſpitari in ſingulaibus encephali ditionibus animæ qvasdam facultates eputavit, ac ipſam animam reſidere in glandula pieali aſſeruerat Carteſius, qvem corrigens Lanciſius (*)

 in cor-

(*) Diſſ. de ſede animæ cogitantis.

in corpore calloſo locatam voluit animam, qvia in hoc unico loco ſenſuum organa concurrerent magis qvam in pineali glandula. Qvicunqve igitur cum Auctore noſtro exiſtentia Animæ eapropter forte in dubium vocata, qvod ſenſuum ope & per experimenta phyſica non cognoſcatur & qvaſi manibus palpetur, cerebrum pro anima habere aggreditur, & in eodem omnes operationes ipſi adſcriptas a ſagaciſſimis mortalium & adſcribendas omnino, abſolvi ſibi perſvadet, is certe valde arduum opus ſuſcipit, ſumma ipſe demonſtrationum impotentia & penuria laboraturus. Miſerum certe & egenum pro eliciendis deductionibus aliter ſentientes convicturis principium aſſumit, qvi fundamentum Materialiſmo cerebrum ejusqve ſtructuram ſeligit; æqvum qvippe jus tum competit Fautoribus Animæ immaterialis urgendi explicationem intelligibilem functionum & operationum defenſæ materialis animæ, qvam ex ſtructura cerebrina nemo clare adeo & perſpicue ſuppeditaturus eſt, unqvam, ut ridendi demonſtrationes metaphyſicas licentiam ſibi qveat arrogare. Namqve ſi Scriptores de cerebro & nervis ab antiqviſſimo ad recentiſſimum ad unum omnes conſulamus, eaque qvæ nonnulli ſine ratione ſibi imaginantur & fingunt removeamus, ultro confiteamur neceſſum erit, nemini Anatomicorum & Phyſiologorum ad præſens ævum licuiſſe eſſe adeo beato, ut ſtructuræ ſingularis uſum in ſingulis provinciis cerebri, gratis certe aliter hic qvam alibi haud ſtructi, liqvido edoceret. Etenim ſi dicendum qvod res eſt de viſcere hoc omnium certe nobiliſſimo valde parum ſcitur; præterqvam enim qvod a vaſculis arterioſis piæ matris egregiæ ceræ ruyſchianæ beneficio

eneficio in conſpectum producendis vaſculoſus oria-
r cortex; qvod in omni puncto ubi corticalis arte-
ola deſinit ea abeat in filum cavum medullare; qvod
edulla corticis propago, medullæqve ſoboles omnis
ervoſa compages ſine dubio vaſculoſam texturam
btinuerint, per qvam ſecretum in cortice tenuiſſi-
um fluidum circuletur; qvodqve demum cerebrum
nſubus & motibus animalibus cerebellum vitalibus
catum ſit, (Excellentiſſimo HALLERO interim hoc
yſtema elegans a tota Anatome contra Præſtantiſſi-
orum Virorum ipſiusqve adeo Præceptoris ſenten-
am refutari notante) (*) vix aliqvid aliud nobis
erto conſtat. Eminentiarum, tuberumve, cavita-
im, ſulcorum, flexuum, ductuum tortuoſorum ex-
inſecus & intrinſecus conſpiciendorum in cerebro
erum uſum qvem certiſſime præſtant, fideliter igno-
mus.

IV.

Sed miſſo hominum & brutorum cerebro, ad obſer-
vationem accedit Auctor noſter, *qvod nonnulla ani-
alia cantent, alia loqvelæ addiſcendæ apta habeantur*,
iraturqve *ſimiam qvam proxime ad hominem acce-
entem communiter ad eandem doctrinam ineptam re-
tari*, ac propterea qvæſtionem movet *an prorſus im-
ſſibile ſit ut Simia lingvam aliqvam addiſcat*, reſpon-
rusqve ad eandem *negare impoſſibilitatem* haud ve-
tur. Ut autem paradoxæ huic adſertioni fidem fa-
at, aſſerit *ſe velle eligere ſimiam majorem qvam vocant
ominem ſylveſtrem, non nimis adultam & vultu in-
genium*

(*) Phyſiol. §. 499.

genium docilitatemqve manifeſtantem, cumqve ipſe ſibi non ſatis idoneus ad hoc negotium Ludimagiſter videatur, *ſe velle* ait *ipſam inſtruendam tradere Præceptori cuidam Ammanno ſurdos loqvelam docere exercitato. Tunc vero ſpem non vanam ſurgere* exiſtimat, *ſimiam ſuam videntem ſignaqve externa percipientem, & inſuper non ſurdam ſed audientem, plus adhuc proficere poſſe qvam diſcipulos Ammanni qvoniam haud credibile ſit Simiam adeo homini ſimilem non inſtrui iisdem ad loqvelam neceſſariis Organis.* Atqve ut incredulis obviam incedat, *ad Lockium provocat qvi lubens perſvaderi ſibi paſſus eſt, exſtitiſſe Pſittacum qvi non tantum loqvelam didicit, ſed ad qvæſita adeo reſpondit, atqve ad diſcurſum reciprocum formandum habilis fuit, fruſtraqve hanc rem riſu ab aliqvibus exceptam* monet. Et cum hypotheſis qvam condere laborat Auctor, loqventibus ſimiis omnino indigere videatur, huic de Pſittaco hiſtoriæ ſi non potius fabulæ valde patrocinatur, *veritates qvasdam phyſicas* adducendo *ſatis paradoxas primum intuentibus & audientibus viſas, firmas tamen nihilominus & inconcuſſas.* His nixus confidenter eloqvitur *neminem aſſertum hoc ridiculum & executu impoſſibile declaraturum: ſimiam potius arte & exercitio eo deductum ut agere incipiant organa ſermonis humani ſimilia locuturum ſtrenue atqve* qvis niſi per ſomnium hanc metamorphoſin expectaſſet unqvam *Simiam loqventem non amplius futurum hominem ſylveſtrem, non hominem incompletum ſed perfectum hominem, & hominem civem membris & muſculis æqve inſtructum ac nos, ad cogitandum & proficiendum ab educatione paratiſſimum & aptiſſimum.* Audax hoc certe & temerarium aſſertum, qvod rerum

intelli-

telligentibus cachinnum potius, qvam aſſenſum ſeri-
n movere debet, ſecurus tamen tanqvam extra con-
overſiam poſitum ſtabilire haud erubeſcit qvin *trans-
um hunc ab animalibus ad hominem neutiqvam vio-
ntum habendum eſſe* contendit, *hominem ſine verbis & gnitione lingvarum fuiſſe certæ ſpeciei animal non di-
nctum a ſimia niſi habitu externo, figuras rerum ex-
rnarum & colores videns, neqve tamen diſtingvens, fantem in omni ætate ſenſationes ſuas & neceſſitudi-
s vix aliter exprimens qvam canem qvietis indigum t fame affectum. Verborum vero & lingvarum be-
ficio tandem leges & ſcientias natas declarat, animal-
e humanum ſenſim fuiſſe educatum, & Geometram dicisse demonſtrationes ſuas & calculos arithmeticos, emadmodum Simia diſcit tollere de capite & appo-
re ipſi pileolum. Omnia hæc fieri per ſigna externa.*

* * *

Lepida ſatis ſunt hæc omnia, & ingenio fertili o pollet Auctor digna; ſiqve luſus & joci cauſa olata fuerint, non ſine plauſu prætermittenda. vis autem amabo rigidum rationis examen ea ſuſti-
re poſſe facile crediderit? Dum ipſe Phyſices Ama-
r nil facile admittendum ducit, qvam obſervationi-
s, experientiis, experimentis, liqvido conſtans, opus nnino erit, ut ſiſtat Orbi novum illud portentum *niam loqventem*, omnium hominum animos in ſtu-
rem conjecturum; omnem operam, omnem artem nnesque ſumtus impendat qvam liberaliſſime, ut vo-
ſuo potiatur, qvo non obtento vereor ut unqvam manus homo in ſimplicem machinam abeat. O-
he!

he! qvantum humano generi, cui ſæviſſima & m
res exedentia bella tantum detrimenti attulerunt h
ctenus, & ſi furere non deſierint, feralem interitu
minantur, ex acceſſione novorum colonorum, ex ſimi
in homines adoleſcentibus naſcetur ſolatium. No
minor opinor, ab adſpectu Reipublicæ ex ſimiaru
familiis circa Utopiæ fines omnium feliciſſime coal
turæ, redundabit Voluptas, qvam ex vetuſta Platon
ca illa redundaſſet, ſi extra inventoris Sophi cerebru
extitiſſet unqvam. Qvamvis enim Autore noſtr
clavum regiminis tenente, qvi eos odit & arcet, ipſa
Philoſophi & Theologi haud ingredientur facile, ju
cundum tamen erit videre Simias Cicerones, eloc
tione geſtuumqve ad qvos natura faciles viſuntur d
centi ornatu conſpicuas; Simias audire Legislatore
Simias conſpicere Mathematicos & Phyſicos; Sim
as venerari Anatomicos & Medicos, cerebri ſui h
maniqve ſtructuram forte exactius inqviſituras. S
mias obſervare decretos ſibi novos honores arripie
tes, poſterisqve aſſerentes, ac ut ſe promeritos e
teſtentur, de nullitate animæ, deqve cogitationibus
ratiociniis per mechanicas & corporeas leges prod
ctis, docte & ſapienter diſſerentes. Ad noſtrum u
qve ſeculum, in qvo etſi omnia nunc fiunt, fieri qv
poſſe negares, animalia qvadrupedia ad qvæ ſine d
bio ſimiæ pertinent, ſi Æſopi & Sectatorum fabul
excipias, tamen loqventia nondum audivimus, ſe
avibus ſolis arte humana adjutis licuit hactenus h
minum voces tantiſper imitari. At

Qvando expedivit Pſittaco ſuum χαῖρε
Magiſter artium ingeniiqve largitor
Venter

acqvi

acquiſivit tamen ſaltem loquelam humanæ analogam, hærentemque memoria, non rationis moderamine directam. Rogatum ipſe peramanter velim Auctorem ut æquus ipſe & veri cupidus dijudicet, quæ Eruditiorum (quam noſtro ævo ob ſentiendi ambitioſam libertatem, adeo in altum evectam gloriamur, & ſeculi genio adeo ſolerter accommodamus) aliquando fata imminere debeant, quæ futura ſit ipſius facies, ſi abuti ingenio & figmentis lepidis ſuperſtruere hypotheſes, aut ſi placet ſyſtemata nova licuerit; ſi veritates a Viris ſummis quibus ſtramineum cerebrum aut inanem capitis oſſeam capſam nemo bonus tribuerit, pondere argumentorum adſtructas, ſpecioſis & verboſis adſertionibus nil veri, nil probabilis, nil poſſibilis in ſe habentibus impugnare, altioris & ultra plebejam aſſurgentis ſapientiæ opus venditari meruerit. Age autem Simiam loquelæ addiſcendæ deſtinatam paulo attentius contemplemur!

Meliorem certe & rerum ſucceſſibus celebriorem Præceptorem ipſi ſeligere impoſſibile erat, quam ſi ſuperſtes fuerat Celebratiſſimum AMMANNVM, qui ſuperans omnes ſua dein veſtigia prementes, generationisque litterarum peritiſſimus, ſtupenda arte ſurdorum oculos in aures mutans, os ſuum diverſimode motum directo obtutu contemplari jubebat diſcipulos, hacque ratione ipſos motitationes organorum loquelæ imitari, vocesque articulatas formare edocebat (*) cujus rei elegantiſſima ſpecimina paſſim dum viveret, exſtare fecit; vitia quoque loquelæ in pronunciatione quarundam litterarum promptiſſime ſæpe emendare gnarus. An vero eadem felicitate brutis

(*) Videatur ejus Tractatus: Surdus loquens.

brutis animantibus potentia adeo loquendi, non act ſaltem ut ſurdi ejus diſcipuli deſtitutis, animaque ra tionali carentibus ſoluturus minus apta linguæ vincu la fuerat Ammannus, de eo quidem forte dubitavi ipſe, neque periculum facere unquam aggreſſus ef Eſt quidem brutis omnibus vox quædam, & ſpeci unicuivis peculiaris & individualis loquela, neque a firmare dubitat de Brutorum loquela agens FABR CIUS ab Aqua Pendente tot eſſe differentias locutio nis, quot ſunt animalium ſpecies, atque unam quam que animalis ſpeciem propriam quandam obtinere lo quelam, nulli alteri ſimilem in univerſa Natura (* Audias nempe hinnientes equos, mugientes tauro rugientes leones, uncantes urſos, glocitantes cervo frendentes apros, ululantes lupos, (ſimiarum ſerm nem naturalem ignoro) ſed cum ratione loquela veram pro ſingulari divinæ munificentiæ dono h minibus ſolis conceſſo, & a beſtiis ipſos ſejungent conſtanter habitam fuiſſe novi. Scilicet quemadm dum alma mater Natura ex Auctoris ſui benigniſſim & ſapientiſſimi inſtituto, novercantem nullibi ſe pra ſtitit, denegando fabricæ animalium aliquid quod a creationis ipſorum fines, perfectionemque definitar corporum quibus indui debebant, requirebatur; i etiam nunquam ſuperflua amavit, & effuſa libertat vel tantillum ipſis indulſit, aut largita eſt, quo no indigebant. Cum ergo noſter Mundus optimus lo quentes feras beſtias non exhibere debuiſſe videatu etiam ab Anatome comparata alienis non apparebi credibile, ipſarum tracheas & larynges cum omnibu ſuis partibus, reliquaque ad articulatam vocem faci

enti

(*) Operum pag. 322.

ntia organa ſimilem ſtructuram obtinuiſſe, ac homi-
um obſervatur; inter quos adeo Viri quibus vox
ravior eſt, ampliori larynge quam fœmellæ inſtru-
ntur. Philomelæ exiguæ molis aviculæ, quam mo-
ulantem ſonosque ab imo ad ſummum vibrantem,
ahentem, flectentem, reiterantem, propellentem, re-
ocantem, geminantem, abſorbentem, reſuſcitantem,
Auſices peritiſſimam jurares, avibusque poſt eam, ad
raviſſimum cantum artificioſiſſima & ſumme mobilis
ſt laryngis & glottidis ſtructura, glottisque ad unam
mnibus cartilaginea epiglottide carens; bovibus mu-
ientibus rima glottidis omnium latiſſima; Galeno
m deſcripta ſuum glottis tota adipoſa, ranis coaxan-
bus glottis tota membranacea, ut annulorum carti-
ginumque varietatem in diverſis animalibus diver-
m taceam. Simiæ ſemi-homines quas omnibus
ompletis loquelæ organis inſtructas mallet Auctor,
udato ſupra Fabricio teſte *) ſi fabricam eorum
pectes mediæ ſaltem ſunt inter homines & bruta re-
qua, atque ut humani quid habent in ſuo larynge,
a etiam nonnulla cum brutis reliquis communia;
amque ſimiarum Ventriculus ſic dictus glottidis vo-
s formationi ſerviens equorum & porcorum ven-
iculo reſpondet **), ut adeo nondum evictum ſit,
is propter organorum ſimilitudinem potentia loquen-
i hominibus apponi poſſe. Sed quoque nondum
ifficeret ſimiæ humanus larynx, & humana glottis,
num quippe vagum per rimulam emiſſum in arti-
ulatam demum vocem abire jubent organa ante eam
conſti-

*) De larynge Vocis organo cap. II. in fine.

**) Vid. icon. ad pag. 276.

conſtituta, quorum ſtructura & habitus in ſimia mul
tum ab humana conformatione abludunt. Linguan
certe & labia ſuas peculiares litteras formantia long
aliter in ſimia effecta videas quam in homine, quar
etiam confidenter cum Fabricio aſſerere licebit, cun
ſimiis bruta quæ labia craſſa, dura, denſa potius ad ca
piendum cibum, quam ad formandam vocem ſortit
ſunt, nunquam ita locutionem efficere poſſe ac ho
mo *), cujus ſolius proprium eam eſſe jam dudun
Ariſtoteles edixit. Videat igitur nunc his omni
bus ſerio expenſis, an futilia ſint & inſuper habenda
quæ obſtare loquelæ ſimiarum obſervantur, an ill
adeo probabilis & conceptu facilis haberi mereatur
Differentem multum inter ſe percipimus quoties lo
quentibus hominibus auſcultamus ſonorum varieta
tem, obſervatione autem conſtat, notavitque ben
Clariſſimus REINBECK **) ſimiæ vocem naturalen
ita comparatam eſſe, ut eadem fere manens parun
immutata audiatur, adeoque ad humanam imitatio
ne felici exprimendam parum habilis obſervetur
Non video ſane dum poſſibilitatem loquelæ ſimia
rum meditor, cur non etiam canibus quos ad decen
minimum vocis mutationes aptos eſſe aſſerit ad hæ
attentus modo laudatus REINBECKIVS, licet homi
nes externa membrorum conformatione haud æqu
ac illæ referentibus, parem tamen ſolertiam & docili
tatem exhibentibus loquendi facultatem tribuere li
ceret; cum ad nutum heri artes ſuas edant promptiſ
ſime, quas ſæpe ad ſtuporem brevi tempore diſcunt
quibusque mirabilem ſenſationis memoriæque virtu
ten

*) de brutorum loquela cap. 6.
**) Von der Unſterblichkeit der Seele §. 74.

m ſeſe cuſtodire edocent. Sane proficiendi occaſio
ſis largiſſima, dum per annos continuo inter homi-
s verſantur, cumque iis adeo contubernium & fa-
iliaritatem contrahunt. Videas non paucas ex ama-
li ſexu, catulos ſuos invidendo a maritis & procis
fectu molliter ſinu excipientes, directoque ore quod
mbendum quaſi oſcula exciperent indulgent, comi-
r & blande adloquentes; quas fœmellas omnes ſi
ridem Ammannas tacite & aliud agendo illos inſtru-
tes & ad loquendum invitantes haberes, vix opinor
vero aberrares. Tantum tamen abeſt ut catulus
o hoc felicitatis genere verba dominæ gratus imi-
ur, ut potius non niſi ingrato raucoque latratu &
ſtuum in ſaltus & gyros detortorum varietate illud
mpenſet. Equidem non ignoratur mihi Illuſtrem
B. de WOLFF brutis organa ad articulandam vo-
m non inepta alicubi tribuere, atque mentionem
icere canis cujusdam in Saxonia qui plura vocabu-
gallica & germanica pronunciaſſe dictus eſt *). At
ro eodem loco *Bruta deſtitui vocibus articulatis* ſcri-
, *quibus tanquam ſignis perceptiones ſuas ſeu res per-
ptas indigitare valeant, neminemque hoc neſcire cum
nes conſortio hominum conſtanter utentes ſermonis
men uſum nunquam conſequantur.* Non bene mea
rte culpa capio quomodo hæc invicem concilianda
ſit Vir ſummus, qui de organorum aptitudine du-
us valde hæreo, atque vocem articulatam canis in-
oriundam ægerrime mente concipio. Poterat ad
um delata fuiſſe de Cane Saxonico relatio ſine ad-
a omnium circumſtantiarum notitia, forteque fuit
idem ille, aut illi ſimilis, de quo ſcripſit Commen-

C 2 tator

* Pſychol. ration. §. 759.

tator Heiſteri *) quod clamanti fauces varie move
do & contrectando voces in humanas litteras form
verit quod & mihi relatum ab Amico de cane noſtr
te memini, non vero hoc artificium facultatem pr
bat propria virtute voces articulatas proferendi.

Sed non diſputem amplius, eſto! ſermocinetur can
per prodigium, docilis ad ſtuporem Magiſtri Amma
num ſuperantis ſtudio loquatur diſcipulus ſimia! a
propterea poſita & exuta ſylveſtri & brutali indo
evadet perfectus homo. Bone Deus! quo ruit e
frænis, cancellis ſemel elapſa, ac veſana libere ſent
endi libido! quis mediocri donatus judicio ſibi o
trudi eam concluſionem patietur? Non ſecus ac ga
lus ille deplumatus quem Platonis hominem juſto l
tius definientis auditorio ſectæ antagoniſtæ addic
ludentes & ridentes immiſerant, homo Platonic
audire merebatur: ita certe Autoris noſtri anonyn
ſimia merito ipſius nomine inſignienda ſi id
latere debere orbem eruditum noluiſſet, ſi v
pſittacos, corvos, graculos, turdos, merulasque ar
loquendi ſuperaret omnes, homo ſaltem ſui gener
& inhumanus valde permanſurus erit. Loquuntu
aves illæ æmulanturque ſæpe ad amuſſim hominu
voces, verum eſt: ſed ſi pſittacum illum excipia
forte, de quo vix credibilia, quibusque dolus ſi i
contigerunt infuit ſine dubio, citatus ab Autore l
Chevalier de Temple recenſuit **) nunquam vel a
curatiſſima obſervatione conſtitit, eas proprias ſua
ſenſationes ac ideas ipſis exinde natas articulatis v
cabulis expreſſiſſe, ſed quæ blaterant objectis exter
nis ſæpe non reſpondentia, aliena ſunt omnia; ver
baqu

*) pag. 392. **) dans ſes memoires.

que tot ſine ſenſu, ſine ordine, abrupta ſubinde, invi-
m confuſa, nunquam concinno nexu in orationem
acta garriunt, quot hominum induſtria memoriæ
ſarum inſevit. Atque eadem ratione neque ma-
s intelligenter locutura erat ſimia, ſi loqueretur.
ilicet ſentiunt bruta organis ſenſuum inſtructa, non-
illaque eorum ipſis hominibus acutius, & perce-
ionum ſuarum ſunt conſcia; ſunt illis eædem ſen-
ionis leges, nexusque definitus inter objectum ex-
rnum & naſcendas ideas; repetunt ſenſa & imagi-
ntur ideas perceptas, retinentque eas memoria;
petunt bonum phyſicum, malum averſantur; ſed
nc brutalium animarum facultates deſinunt, aut ad
oddam ſaltem analogum rationis adſcendunt, ne-
e amplius progredi licet pudore ſuffundendæ ſimiæ.
rgit longe ultra eas homo, natas ſenſationes & ima-
nationes eloquens, ſui ipſius præteritorumque me-
oria inſtructus; abſtrahit univerſalium cognitione
es, intellectuque pollens judicat & ratiocinatur;
lt, non vult: imo vero non ſigna ſaltem rerum,
cabula, novit, linguarumque valorem callet, ſed
aracteres rerum picti, litteræ, ſine ſenſuum ope
i Orbem univerſum, res hominum ab eo condito
noſtra usque tempora geſtas, omnem ſcientiarum
bitum, repræſentant. En quæ de ultima hac ad-
dumque nobili prærogativa habet Bœrhaavius: *Mi-
bile eſt* inquit *arbitrarios quosdam ſonos cum ſignis
inde arbitrariis & diverſiſſimis connexos, poſſe in no-
certas & communes in tota gente ideas excitare, &
rrare nobis hiſtorias cum quibus nihil neque chara-
ribus neque iis quos denotant ſonis commune eſt.* ad-
quaſi a me rogatus, *brutis hoc idem Deus non dedit*

 diſcere,

diſcere, ne ſimiis quidem *). Atque quam eleganten his adjeciſti commentarium Sapientiſſime HALLERI quem totum excipere prolixitas vetat; quem tamen velim ne verbulo omiſſo in ſuccum & ſanguinem con vertat abhorrens a tua ſententia *hominis Machini* Auctor. Stabiliviſti juſtos brutali docilitati & ſagaci tati terminos, docuiſti abſtractas ideas, generum no mina, relationes pleraſque ignorare bruta; neque e latiſſimum regnum intellectuale ingredi, creatoren non alios ipſis conceſſiſſe ſermones, quam ad anima lem vitam neceſſarios; a litteris ſignis vocum arbitrari arum arbitrariis quæ ſigna rerum externarum ſunt, ad eoque ab illis ſignis ſignorum brutorum naturam totan & absque exceptione remotam eſſe. Hæc perpenda Diſcipulus Tuus degener, valereque juſſum ableget in ſylvas iterum & ad ſimias ferum ſuum hominem, au Principum oblectamentis relinquat; nec in anguſtio res cogitationes damnatis illiteratis perſuaſurus valde claudicante ſimili, loquelam & educationem cum ſignis externis ſuffecturam ſimiæ, ad percipiendum valorem legum, & addiſcendas ſcientias. Inſaniret cum ſana ratione, qui admitteret Geometram non aliter didi ciſſe demonſtrationes ſuas & calculos, quam ſimiam pileolum de capite tollere, vel id eodem operire. Alios puto animi nervos intendendos lineas, circulos, angu los, metituro, & figuras geometricas in charta depi ctas intellectu comprehenſuro, quam quibus inſtrui tur ſimia, quibusque ad tripudiationes & geſticulatio nes per naturalem ſuam indolem adaptatum hoc ani mal indiget. Ante hos novem annos cum Autor no ſter de his artibus forte nondum cogitaret, jam aſſe ruit

*) Prælectionum Volum. IV. p. 476.

ıit & demonſtravit Cl. REINBECK Simiam nun-
ıam idoneum fore ut diſceret Arithmeticam *). Sed
ec notaviſſe ſufficiat: illico nunc pergam ad alia, at-
ıe ex Auctoris cerebro luxuriante & immaturius
ırturiente excluſa de cerebro figmenta, veros inge-
i ipſius petulantis abortus accuratius contuear.

V.

Nil adeo facile conceptu habet Auctor *quam Mecha-
niſmum educationis quæ tota refertur ad ſonos &
rba, quæ ex ore unius proficiſcuntur, per aures alte-
us in cerebrum, quod eodem tempore recipit per ocu-
r figuram corporum quorum ſigna arbitraria ſunt vo-
bula.* Quæſtio dein ipſi injicitur: *Quis primus lo-
tus fuerit, quis primus Præceptor generis humani,
is invenerit dari docilitatem in organiſmo noſtro, no-
enque illius temporum nocte occultatum* reſpondet.
terim tamen credibile habet *homines naturæ bene-
io organiſmo maxime valentes inſtruxiſſe reliquos, qui
dito novo ſtrepitu viſisque amœniſſimis objectis quæ
bis pulchritudo ſuggerit, novisque adeo ſenſationibus
rculſi, pro ſuæ imaginationis œconomia tentarunt has
primere vocibus ſpontaneis, ſibique naturalibus, ſtu-
re, gaudio, indigentia, proritatis. His mediis* aſſe-
t *per ſenſationes natum eſſe intellectum, per intelle-
um vero ſcientias, cerebrumque ideis fuiſſe repletum
l hunc finem a natura efformatum, ita ut res omnes
hoc univerſo a ſe invicem diſtinguerentur. Quoniam
tem ex lege ſtructuræ cerebri hoc objectorum imagi-
s per oculos allatas earumque differentias videre cogi-*

*) l. c. §. 83.

tur, ita eadem neceſſitate ſignis objectorum in cerebro notatis & impreſſis animam relationem utrorumque mutuam conferre neceſſario & examinare ait, *quod ſine linguarum cognitione fieri nequibat.* Nolo ego transſcribere omnia quæ dein *de diſtinctione & nexu figurarum & ſignorum* fuſius exponit Auctor: ſufficiat illa in nullum alium finem prolata, quam ut probet *omnes ſcientias nil eſſe niſi largiſſimam congeriem vocabulorum & figurarum in capite veſtigia efformantium, quorum ope objecta diſtinguimus, nobisque repræſentamus, vocabulaque illa & figuras adeo invicem necti in cerebro, ut vix imaginemur aliquid, ſine ſigno vel nomine ipſi adhæreſcente.* His expoſitis credere ſe profitetur *omnes partes animæ poſſe reduci ad ſolam imaginationem, quæ omnes formaret, judiciumque, memoriam, ratiocinationem non eſſe partes abſolutas animæ, ſed certas modificationes ſubſtantiæ medullaris, in quam objecta in oculo depicta reflectuntur, tanquam de laterna magica. Cum autem hæc omnia miraculoſa & incomprehenſibili ratione reſultent ex organiſmo cerebri, concipianturque & explicentur ex imaginatione, Principium ſentiens & cogitans in homine perperam dividi* clamat, exprobratque fautoribus ſimplicitatis Animæ quam ſpiritum habent, *quod ſibi contradicant & abſurde aliquid dividant, quod habent pro indiviſibili, abuſum linguarum & vanitatem Vocum ſpiritualitatis & immaterialitatis* taxans *quas Eruditos ipſos non intelligere* contendit.

Valde placet Auctori novum *hoc ſuum ſyſtema* quod *experientia uniuscujusque individui niti* credit: *Imaginationem* quippe *ſive partem illam phantaſticam cerebri cujus natura & agendi modus neſciantur ſolam*

percipere

rcipere objecta eorumque vocabula quibus denotantur, *figuras ſibi repræſentare, vereque animam eſſe* denuo ffirmat *cum omnes hujus functiones peragat.* Lonius deinde eleganti ſermone præſtans ingenium Autoris declarante is excurrit & panegyricum imagiationi ſcribit *omnes artes & ſcientias ab ea derivans, ſamque exercitam ſatis ſolam ratiocinari, judicare, res omparare, indagare, inque eas penetrare* aſſeverat.

Concludit deinde *Organiſmum ſive ſtructuram mehanicam eſſe in homine præcipuum, ex ea ſola ſcientias & virtutes emergere, licet Moraliſtæ eam communiter nſuper habeant, dona naturæ negligentes, & omne boum induſtriæ tanquam aliquid acquiſitum, meditatioibusque tribuentes, cum tamen diſpoſitio naturalis reuiratur ut fiamus docti & virtutibus conſpicui.* Poro *ad organiſmum inſtructionem accedere debere* innuit *ne qua optime ſtructum cerebrum clauſus uterque futurus erat, ad idearum conceptionem & evolutionem nhabilis, e contra vero cerebrum bene formatum & ene inſtructum terram fieri fœcundam mandata ſibi emina fructu centuplici reddentem.* Quod ut ſine ropis exponat *imaginationem arte adjutam* dicit *aripere ideas, & ita innumerabilia objecta ſua facere, & atenam concluſionum inde formare, hacque ratione enerari intellectum, innatas verò Carteſianorum ideas ſſe nullas: illum qui polleat imaginatione valiturum tiam intellectu, & turpe eſſe exiſtimare aliquem ſe dicere res diverſas, quæ non niſi ſunt diverſa nomina, nam rem reali diſtinctione deſtitutam involventia.* Addit tandem *non negari tamen poſſe imaginationem indigere attentione, nam fugacem eſſe & turbulento ſanguinis & ſpirituum motu facillime propelli, quemad-*

modum veſtigium unius undæ ab altera deletur; imaginationem ſe habere ut tempus quod abit & redit, illud chaos, illam rapidam & minus ſtabilem ſucceſſionem idearum a ſe dimoveri, protrudi & mutari, niſi imaginatio ſi ita loqui licet adhibeat ſuos muſculos & cum chordis cerebri ſit in æquilibrio, ut irrevocabilem ſenſum objecti retineat, aliter nunquam egregium judicii nomen promeritura.

* * *

En paradoxarum ſententiarum curſu haud ſatis mirando emiſſarum in publicum ingentem cumulum! quas digeſtas magis & ordine prolatas mallem, ut ſingulas ſenſim in jus vocare liceret. Separem pace Auctoris ipſas a ſe invicem, certisque propoſitionibus includam.

1. Cerebro mediante Auditu imprimuntur ſoni & vocabula, mediante viſu figuræ objectorum.
2. Scientiæ omnes ſunt collecta in cerebro congeries vocabulorum & figurarum, & ex utrorumque nexu & ſimul tamen repræſentatione oritur imaginatio.
3. Omnes functiones Animæ adſcribi ſolitæ abſolvuntur ſola imaginatione, cum vero ad illam ſufficiat pars organica cerebrum, nulla datur anima.
4. Ab organiſmo cerebri ut cultura ſcientiarum, ita & Virtutum exercitium pendet.
5. Organiſmus tamen flagitat inſtitutionem ut perficiantur & cumulentur, & attentionem ne perdantur iterum ſemel acquiſitæ ideæ.

Vah

Vah quæ opinionum monſtra & portenta! horri-
lo ſuo & informi adſpectu eo minus intelligentibus
placitura, quo magis denudata hic exhibentur, detra-
cto eleganti illo amictu quo induta ab Auctore capta-
e in Orbe plauſum, Eruditorumque aut potius ho-
ninum ſublimiorem moderni ſeculi ſapientiam ſpi-
antium colligere ſuffragia jubebantur. Pericliter
nunc, an vires meæ ſingulis confodiendis ſufficiant,
non poſthabita quæ fere exciderat, curioſa quæſtio-
ne de primo mortalium cui loquelam debent, Præce-
ptore. Faciliorem illum quis fuerit inventu haben-
dum crediderim, quam ſimiæ quendam Ammannum
nventum iri opinor. Valde equidem peccarem, ſi
Auctorem noſtrum, hominem ultra vulgarem & ple-
bejam eruditionem evectum, & ſanctam ſimplicita-
em chriſtianam ridentem ac ſibilis excipientem ad
Sacra Biblia perducerem. Audeo tamen niſi omnem
hiſtoricam fidem negare ſuſtinuerit, ipſi evolvendum
conſulere MOSEN Hiſtoricorum Antiquiſſimum,
quemadmodum evolveret Herodotum, Diodorum
Siculum, Livium, vel alium quemcunque Scripto-
rem; Moſen inquam, cujus auctoritatem veritatem-
que, cujus fidam de creatione Mundi relationem
ipſi adeo Pagani ratam habuerunt, cujus veſtigia Pla-
to *), Cicero **), Ovidius ***), aliique gentilium
ſecuti ſunt. Ibi inventurus eſt primum & commu-
nem Mortalium Parentem Adamum, non fortuito
caſu inſtar boleti & fungi e terra protruſum, ſed di-
vina manu ex limo effictum, omnibusque ab ipſo ſuæ
creationis articulo abſolutiſſimis facultatibus prædi-
tum,

*) in Timæo. **) de natura deorum.
***) Metamorph.

tum, quæ vigere in adulto homine deprehenduntur, huncque commotum & perculſum novelli Orbis elegantiſſimo ſpectaculo, animalibus quadrupedibus & volatilibus rebusque externis omnibus pro lubitu ſua impoſuiſſe nomina, uxorique Evæ & procreatis cum ea liberis Præceptorem extitiſſe leget. Ad hæc ſi non niſi in cachinnos ſolutus attendere velit, per me licet; abundet ſuo ſenſu in explicatione ortus linguarum & dum paradoxorum magnus eſt amator, ſi libet vel ex *Johannis Petri Erici Anthrapoglottogenia* miris phantaſiis repleta pro ſuis acceſſiones mutuetur; hæc enim omnia ad Machinam & Animam nil faciunt. Accedo ad poſitionum ex ipſis verbis Auctoris concinnatarum examen.

1, Rectiſſime valere juſſis Carteſianorum ideis innatis, cum evictum ſit a Philoſophorum ſagaciſſimis, nil eſſe in intellectu quod non prius fuerit in ſenſu, qui omnium artium & ſcientiarum conſtans conſtituit principium, de Senſatione primo cogitare, ac ignobilioribus guſtu, tactu, olfactu, neglectis, viſum & auditum commemorare debuit, quorum beneficio cerebro imprimi ſonos & figuras aſſeveravit. De ſenſu igitur & modo ſentiendi jam diſpiciamus; tantoque curatius, quo magis demonſtrationibus deſtituuntur pronunciatæ quaſi ex tripode Auctoris adſertiones.

Non vero levi adeo opera huic quidem negotio ſatisfacere licet. Namque ut verum fatear, non ſaltem Veterum nonnullorum propius ad noſtrum ſeculum accedentium Phyſiologorum hypotheſes nil ſolidi & abſoluti hac in re explicant: verum recentiſſimi adeo Autores quorum tamen laboribus ſua incre-

menta

menta ſuamque lucem qua hodie fulget, omnis Medicina debet, organa equidem ſenſuum ſubtiliſſimæ Anatomes beneficio demonſtrant, deſcribunt, & depingunt quam ſolertiſſime, modos vero ſenſationum natarumque inde idearum aut ſilentio prætereunt, aut terminis inanibus vixque intelligibilibus exprimunt, aut ipſos ſe non bene ſcire cordati & ingenui profitentur. His tamen omnibus æque licebat gratis aſſerere, figuras rerum & voces ipſis reſpondentes migrare per oculos & aures ad cerebrum, ibidemque ſtabilem & fixam ſedem obtinere, quod ipſum dudum Epicurus cum ſectatoribus non minus gratis edixerat. Id ſatis certum eſt, omnem ſenſationem fieri miniſterio nervorum, omniaque organa ac inter ea oculum quoque auremve, licet ſummo artificio conſtructa, tamen ad ſenſum inepta futura, niſi ea ingrederetur nervus. Neque minus demonſtratum eſt, nervi optici mollem & pulpoſam ſuperficiem in oculo in tunicam retinam abeuntem per motum & attactum radiorum lucis; & acuſtici ſuperficiem tenuiſſimam in auris internæ concameratione dilatatam & expanſam, per motum undulatorium aeris mutationem quandam pati, quoties videmus vel audimus. Neutiquam tamen hæc mutatio in ſuperficie nervi eveniens viſui & auditui abſolvendo ſufficit, ſed requirit nervum ab organo usque ad illam plagam medullæ cerebri ex cujus filamentis is oritur, nec compreſſum, nec ligatum, nec ulla ratione in ſua continuitate læſum, ſed integrum & liberrimum, ut mutatio quam paſſus eſt in organo, ſine impedimento, aut ſi mavis mutationis effectus poſſit communicari ipſi medullæ, quæ quoniam in ea terminantur omnium organorum

ſen-

ſenſoriorum nervi, quaſi radii in ſuo centro, ſenſusque omnis quaſi complementum in ipſa habet, Medicis audit Senſorium commune. Omnia hæc certa & vera præ aliis egregie equidem expoſuerunt Præſtantiſſimi Viri BOHNIVS, BERGERVS, HOFFMANNVS, BOERHAAVIVS, HALLERVS, GORTERVS, at vero ultra hanc notitiam nemini eorum progredi licuit. Nulli ſciſcitanti curioſius vitio verti poteſt quæſtio, quomodo illa mutatio nervi in organo, vel motus a corpore ſenſibili ipſi impreſſus, communicetur cerebro, & quomodo ex hac communicatione oriatur ſenſus, & ex eo definitæ quædam ideæ, ſed parum vel nil prorſus reſponſi is feret, ſi ad ſummorum Virorum horum, vel aliorum quorumvis opera anxie & operoſe perluſtranda acceſſerit. In phyſicis ætiologiis expiſcandis, & ex tenebris in quibus latebant, eruendis, & in apricum collocandis, adeo per omnem vitam occupatiſſimus HOFFMANNVS tamen dum de ſenſubus agit nil audet aſſerere, quam *quod omnis ſenſatio ſeu perceptio duplicis ſit generis, reſpectu nimirum animæ certæ ideæ ſeu notionis productio diverſimoda, cujus illa ſit conſcia; reſpectu corporis ſpecifica motus ab objecto externo in membranas nervoſas organi impreſſio* *); *pictamque* adeo *in retina imaginem ſenſorio communi offerri; radiosque ſonoros membranæ tympani, oſſiculis aerique in cavitatibus internæ auris tremorem, fibrillisque nervoſis motum diſtinctum imprimere, ſenſorio communi ad perceptionem communicandam* **). de oblationis & communicationis modo nil legitur. Fuere equidem qui de explicatione ſolliciti,

*) Med. Syſtem. Tom. I. lib. I. ſect. 3. cap. 3.
**) lib. I. ſect. 3. cap. 4.

citi, modum illum vel irritatione fibrarum nervorum, tunicarumque eas cingentium; vel propulſione, vel tractione, vel motu tremulo, vel tenſione, abſolvi declararunt. Demonſtravit autem liquido Cl. e GORTER †) omnes hos communicationis modos eſſe imaginarios, motumque ipſum mechaniſmum in organo ſenſorio ab objecto productum ne quidem vergere ad cerebrum, ſed aliquem ſaltem nobis ignotum effectum mediante ſolo liquore ſubtiliſſimo nervorum. Et in hac ſententia ſecutus videtur præceptorem BOERHAAVIUM qui *a ſpiritubus in organo impulſis pelli vicinos, a proximis ſecundos, a penultimis ultimos adeoque in ſenſorio communi nil fieri ediderat, niſi repreſſionem ſpirituum contra originem ſuam: ſimplicisſimam quidem eſſe hanc explicationem, ſed nil ultra ſe ſcire* profeſſus *). Effectum quoque ulteriorem in altera extremitate nervi medullæ proxima, medullaque ipſa, non determinari poſſe eloquitur GORTERUS & *in ea natam mutationem eſſe tam parvam, tamque ſimplicem, ut nil ſimplicius & præ ipſa ſimplicitate vix queat indagari* palam eloqui Magnus BOERHAAVIUS non erubuit **). *Quid ergo eſt ſenſus?* alibi quaerit ſibique ipſi reſpondet: *Neſcio! id ſolum ſcio in corpore noſtro certa organa cum cerebro conjungi, in cerebro ſenſum fieri, animam vero percipere, judicare de ſenſis ac ſi ſentiret ipſa. Nexum vero omnium harum actionum explicare, non hominis eſt, multo minus noſtri* ***). Quam ingenuam confeſſionem, quam doctiſſimam ignorantiam dum venerabundo affectu meditor,

†) in Compend. Medico Tract. 16.
*) Prælect. Volum. IV. p. 430.
**) inſtitut. aph. 569.
***) Prælect. Vol. IV. p. 441.

tor, non poſſum non revocare in memoriam notatu dignisſima doctiſſimi MORHOFII verba, quæ in calce diſſertationis *de Paradoxis ſenſuum* olim cum Voluptate lecta recordor. *Magna* inquit *ſunt ſenſuum myſteria, majora mentis quæ illis internunciis & apparitoribus utitur. Hanc in ipſa domo ſua hoſpitem vix noſcimus, viciniſſimam eminus vix videmus, ſenſibus ipſis fallimur, ad lucem & colorem cæcutimus, in ſonorum natura inveſtiganda obmuteſcimus, in odoribus captandis non ſatis emunctæ naris ſumus, in ſaporibus parum ſapimus, ad tactum ſtupemus ac ipſos ſenſus noſtros vix ſentimus.* Ita de ſenſatione ſenſere Viri graves, hic ſummus Polyhiſtor, ille Medicorum ſapientiſſimus. Longe vero iis perſpicacior Autor noſter, in machinam humanam ejusque leges penetravit profundius, longeque oculatior antiquatas figuras cerebro impreſſas videt, deletasque toties a Claris Viris renovat iterum, & conceptu faciles ducit. Speciem veri præ ſe ferens obiter attendentibus & mediocriter doctis videri poterat hæc hypotheſis, quando evictum eſt Oculum per ſuam ſtructuram exactiſſime referre cameram obſcuram, objectorumque imagunculas in albiſſima retina eadem ratione pingi, ut in ſuſpenſo poſt illam albo linteo pinguntur, quod curioſo experimento in oculo artificiali aut ex animalis orbita eruto loco retinæ albam chartulam habente, adeo obſervare licet. Quidni igitur a retina per nervum ipſi continuum ad ſenſorium commune quomodocunque repere poſſet picta imaguncula! Sed feſtinemus lente, in formanda hac conjectura! Ne quidem hactenus per omnes demonſtrationes opticas, dioptricas, & catoptricas explicari a ſagaciſſimis Viris potuit, qui fiat quod licet,

ſi

ſi objecta externa reſpicias, imago ſemper inverſa repræſentetur in retina, oculus tamen nihilominus erecta omnia ut ſunt videat, & ſiniſtre repræſentata ut ſunt, dextra; dextre repræſentata ut ſunt, ſiniſtra. Ipſe ſane Sapientiſſimus HALLERVS ex mechanicis & opticis neceſſitatibus & principiis cauſam rei deducere ignarus, *recte reſpondiſſe ad hoc quæſitum cenſet* SCHEINERVM, ROHAVLTIVM, REGIS, MARIOTTE, MVSCHENBROECK & PORTERFIELDS *mentem non videre in oculo, ſed ea vi præditam eſſe æterna lege creationis ut ſibi repræſentet lineas, non in iis punctis in quibus in oculo pinguntur, ſed in iis ex quibus radii in oculum adveniunt* *). Equidem recens Auctor le CAT **) *Animam* ſcribit *adſueſieri ut viſum tactus beneficio corrigat hujusque ope ſitum corporum dijudicet, ac hac ratione ſibi caveat ne fallatur: itaque ipſam nihilominus non obſtantibus imaginibus inverſis objectorum ea pro rectis dijudicare, & pro talibus agnoſcere.* At qui emendationem hanc viſionis unice pendere ab experientia docuerat Illuſtr. HALLERVS ***) alibi *innatum eſſe oculo* dicit *ut ſitum excitum repræſentet animæ etiam in recens natis animalibus & hominibus cum cataracta natis ſtatim poſt eam depoſitam ſine palpatione aut experientia prægreſſa* †. Hæc vero ultra mechaniſmum omnem oculi, ultra omnes opticas leges aſſurgens viſus perfectio, ad unum illum nexum nobis incognitum corporis cum anima, ex voluntate divina coordinatum referenda, & ex eodem explicanda vix ſuffectura videbitur Auctori noſtro. Sed ſubminiſtret

*) Prælect. Vol. IV. pag. 260. **) Traité des ſens.
***) in Phyſiologia §. 540. †) in erratis ad §. 540.

miniſtret ille humanam machinam intimius noſcens meliora, doceatque quomodo mechanice erigatur ad cerebrum deferenda imaguncula; aliter per inverſas figuras ipſi illatas inverſam valde imaginationem ſecuturam credibile evadet, ac ut totum ipſius ſyſtema erectum permanſurum ſit, valde metuendum erit. Verum cautus & prudens hiſce difficultatibus jam proſpexit! pro mira enim qua pollet ingenii dexteritate, poſt retinam in qua per oculum veluti per cameram obſcuram ingreſſa objecta inverſe depicta comparent, ſedulus collocavit laternam magicam. Nil ergo amplius obſtat, nil in explanatione inſuperabile ſupereſt; in hanc enim illatæ ut decet imagines inverſæ reflectantur ad ſubſtantiam medullarem cerebri, ibidemque erectæ iterum compareant neceſſum eſt. Plaudat qui volet huic ætiologiæ, linquo ego lubens Auctori non invidendam lepidæ inventionis gloriam, mihi non æque ſimile quid habere videntur nervi optici & thalami ipſorum cum laterna magica, ac oculus & retina ejus id habent cum camera obſcura. Sed abſint a re ſeria luſus! nec inverſæ nec erectæ imagines objectorum ad cerebrum perveniunt unquam, verum in retina ſola illæ ulterius progredi neſciæ perſiſtunt, donec a novis ibidem formatis iterum abigantur, hallucinaturque Auctor mirum quantum quando hac ratione ideas ibidem naſci autumat. Denuo repeto extra omne dubium poſuit GORTERVS mutationem in ſuperficie nervi optici non poſſe aliter propagari ad ſenſorium, niſi per fluidum nerveum; nunc autem quando id concipimus liquorem mobiliſſimum, tenuiſſimum, fluidiſſimum, quomodo is ſibi imprimi figuras a retina acceptas paſſurus ſit quæ non niſi in

quieta

quieta extenſaque & ſolidiore ſuperficie alicujus corporis permanere poſſunt, & perdurare; quomodo s liquor eas in cerebri quandam provinciam ubi ſedem figant & ideis ſerviant perducturus ſit explicet, qui valet; maxime cum docente BOERHAAVIO *idea cui vere nec moles nec figura ineſt, nil repræſentet quod eſt n actione objecti vel in paſſione organi* *). Nempe ut lió loco Vir eximius egregie monet *id quod per nervum affertur, non eſt imago quæ in retina depicta fuerat, verum ſi concipias in nervo optico fibrillas minimas otidem quot ſunt in imagine punctula, nihil omnino fieri potuit, niſi ut quævis fibrilla aliquid de imagine ſive puncto depicto accipiat, nempe mutationem ſuperficiei. Hæc n unico puncto non poteſt eſſe niſi ſimpliciſſima neque in ſenſorio communi facere niſi leviſſimam mutationem & concuſſionem infinite parvam* **). Porro etiam prorſus egregie Illuſtr. HALLERVS *Cogitatio* inquit *non eſt expreſſa imago objecti, a quo ſentiens nervus adfectus eſt. Nihil idea coloris rubri commune habet cum radio parum refrangibili ex ſeptem portionibus radii totalis ſeparato & longe minus fieri poteſt per optica fundamenta ut imago per radios in albo molliſſimo nervo picta longo itinere in perfectis tenebris per corpus opaciſſimum referatur in thalamorum originem* ***). Neminem qui e viſus ſenſu organo cognito, indubia, certa & ad abſolutiſſimas demonſtrationes perducta cognoſcere vet, ducem meliorem ſeligere poſſe certum eſt, quam immortalem illum Iſaacum NEWTONVM communi eruditiſſimum hominum conſenſu ultimos humanæ cognitionis limites fere ſupergreſſum. At ſi

D 2 expen-

*) inſtitut. §. 570. **) Prælect. ad §. 569.
***) Phyſiol. §. 544.

expendantur omnia, quæ ſtupendo labore præſtitit Vir acutiſſimus, ſi comparentur cum iisdem ea, quæ ipſius ſyſtemati opponere non dubitavit Cl. le CAT *) terminus demonſtrationum ſemper invenietur retina, neque ex iis confici poterit, ultra eam agere radios imagunculamque ibi creatam profundius in nervum adigere. Laudat eapropter Newtonum BOERHAAVIVS quod abſoluta demonſtratione Optices ingenue faſſus ſit, nil facere ad ſenſum, omnia quæ docuerat, quam ut probent fieri definitam quandam in nervo optico mutationem **). Sane ut guſtu non diverſæ ſalium figuræ Chemicis innoteſcentes & Phyſicis cerebro imprimunt, aliter unicuivis homini vel maxime a Chemia & Phyſica alieno notiſſimæ futuræ; ſed motus diverſus a diverſa figura ſalium pendens papillis nervoſis imprimitur, ad cerebrum ablegandus; ut tactu non corporum figuræ læves, aſperæ, rotundæ, planæ, anguloſæ, convexæ, concavæ, calor, frigus, humiditas, ſiccitas cerebro ſe inſinuant, ſed motus exinde in nerveis cutis extremitatibus natus, altius ad ſenſorium commune adſcendit; ita quoque viſu imagines in retina pictæ neutiquam ad cerebrum devolvuntur. Quod vero de his ſenſationibus dixi, de Auditu quoque, quo Auctor noſter pro ſuo ſyſtemate poſt Viſum præcipue indiget, non minus valiturum credo: Nimirum volitantia per auras verba, undæque aëris externi ſonoræ, nec mole nec figura agentes, dum in aure interna contento aëri per leniſſimum attactum tympani membranæ, & oſſiculorum, tremorem longe ſubtiliſſimum inducunt, nervique acuſtici exiliſſimas fibrillas

*) Traité des ſens.

**) Prælectionum §. 545. Vol. IV. p. 286.

ibrillas mulcent magis quam commovent, qua ratio-
ne ſui veſtigia quomodocunque etiam ſeſe habitura in
erebro effingant, & ibidem ſtabilia reddant, dum mo-
us adeo tremulus externi aëris præ ſua ſimplicitate
non animadverti poteſt, atque celerrime natus celer-
ime iterum perit, non adeo facile concipitur, & in-
elligitur, ac Auctor ex favore ſuæ hypotheſeos ſibi
erſuadet. Ex his autem omnibus ſobrie penſitatis
uminatisque ſerio, eluceſcit abunde, admittendum
mnino eſſe aliud quoddam principium ſentiens, quam
uidem cerebrum ejusque medullam, & ſi ibidem cir-
a primas nervorum origines naſci conſummatas per-
eptiones, legeque immutabili a nullo unquam mor-
alium eruenda Animæ ipſi ſenſibiles reddi, & ſi ita
oqui licet, migrare & tranſire in ipſam iis in locis val-
e probabile habendum. Machinam corporis vero
jusque motus ſenſui ſufficere nemo Medicus erudi-
us omnia antecedentia trutinare aptus facile opinabi-
ur. Non abſurde olim jam ARISTOTELES quem
amen modernorum Medicorum & Phyſicorum dilu-
idationes latebant, Mentem videre, & audire, non ocu-
um, & aurem edixit; neque ridendus erit qui viſum &
uditum plus quam quid corporei & materialis invol-
ere tuto aſſeveraverit, id enim hactenus prolata pro-
ant evidenter. Doctius puto profiteri cum Graviſſimis
Viris intricatum ſenſationum opus deberi Conditori
Deo, qui ſapientiſſima voluntate ſancivit ut corporeas
nutationes determinatæ ſequerentur in Anima ideae,
uam negare perperam quæ miſeri homunciones ra-
one ultra præfixos limites non potente progredi,
aud aſſequimur; atque fingere fabellas cerebrinas
sdemque icaria audacia ea quæ longe aliter ſeſe ha-

 bere,

bere, a nobis tamen ignorari voluit Deus, otioſe impugnare. Jam ad propoſitionem ſecundam.

2. Equidem audacter affirmare poteram, propoſitionem hanc jam dilutam & pro falſiſſima declaratam fuiſſe in antecedentibus, ubi figmentorum Auctoris de ſenſu Vanitas oſtenſa fuit, quibus corruentibus ceu baſi everſa, ruat & his ſuperſtructa imaginatio neceſſum erit. Interim ut quam lubrica ſint omnia, quæ clare oſtenſa venditat, ut quam umbratiles & fumoſos de imaginatione conceptus formaverit, eo certius innoteſcat, ad ulterius examen illos revocemus. Accedat pauliſper oro, aut ſi nolit trahatur vel invitus, & renuens, ad Pſychologiam empiricam & rationalem Illuſtris WOLFFII in tractatione de *ſenſatione & imaginatione* inventurus valde multa ipſius ſyſtemati inimiciſſima, ſed tamen rigide ſatis demonſtrata.

Comparet hæc cum iis, quæ ſummorum Medicorum principia ſecutus paulo ante explicui, & mirabitur ſanioris Philoſophiæ quam immerito odit, & Medicinæ harmonicum ubique & amicabilem concentum. Nempe aſſidua & ad extremum perducta Medicorum attentione ad ea quæ mechanica neceſſitate accidunt corpori humano ſentienti, nil ad ſenſum faciens in eodem detegitur amplius, quam motus mechanicus ab organo commoto ad cerebrum propagatus, vel ex illo in cerebro enatus, & hic motus WOLFFIO vocatur *idea materialis.* Hanc idem materialem vero ſenſui non ſufficere, ſed ut is excitetur ipſam ſimul proritare debere *ideam ſenſualem*, in corpus neutiquam cadentem; ſed ab eodem diſtinctiſſimam, licet idearum materialium & ſenſualium perpetua detur coëxiſtentia, & identitas, neque ſine ſenſualibus

naſci

naſci poſſit imaginatio, liquido evincit *). Quod omne ut uberius proſequar, notari velim, imaginationis notionem latius multo extendendam eſſe & longe plura involvere quam objectorum externorum figuras & vocum veſtigia in cerebro reſervata. Namque licet concedi queat, ut repræſentatio illa quæ organorum mutatorum ope naſcitur quæque ſenſatio proprie eſt imaginatio dicatur, tamen is ſtatus præcipue ut ab aliis ita & ab Illuſtri BOERHAAVIO & eximio Commentatore ejus HALLERO **) imaginatio dicitur, quando a cauſis internis nervi, ſpiritus, cerebrum, ita afficiuntur ut excitentur percipianturque ideæ ſimiles, quales a cauſis externis agentibus in organa excitarentur, quando nempe in ſenſorio communi oritur diſpoſitio phyſica incognita abſentis objecti repræſentationem producens illi diſpoſitioni par, quæ organorum ſenſoriorum ope per objecta præſentia cœteroquin naſcitur. Conſentit exacte cum Illuſtribus his Medicis Præceptore, & Diſcipulo, Philoſophus WOLFFIVS ***) imaginationem definiens *facultatem reproducendi perceptiones rerum ſenſibilium abſentium*, demonſtransque imaginationi vi interna productæ coëxiſtere debere eandem ideam materialem ſeu diſpoſitionem in ſenſorio, ac ſi ab externa cauſa naſceretur imaginatio ****). Forſan autem nil his omnibus ſe turbari clamat Auctor, cui perinde fuerit, ſive repræſentatio fiat per organa, noviter allata in cerebrum imagine, ſive ceſſante actione organi, ab

*) Pſychol. rat. §. 112. 113. 114.
**) inſtitut. §. 582. & in Prælect. ac notis.
***) Pſychol. empir. §. 91. 92.
****) Pſychol. ration. §. 206.

imagine ibi per hypotheſin conſervata. Sed doceri ſeſe patiatur ſi vel cerebro inferrentur rerum figuræ, quod neutiquam fieri ex antecedentibus apparuit, impoſſibile tamen eſſe ut eidem conſtanter inhæreant. Demonſtravit quippe evidenter decies hic ab eo legendus Ill. WOLFFIVS ideas materiales ſemel ſenſu perceptas, vel noſtro arbitrio vi imaginationis, formatas, & olim perceptis reſpondentes, non actu ineſſe cerebro, ſed ſaltem potentia ſeu quoad poſſibilitatem, actu inexiſtendi, abſente licet objecto. Nimirum cum ideæ materiales ſaltem conſiſtant in motu, qui ex fibrillis nerveis organi ſenſorii in cerebrum fuit propagatus, atque hic motus imminuta celeritate ſucceſſive debilitetur, donec prorſus extinguatur, & continua objecti ſenſibilis actione continuo produci debeat, ne intereat; impoſſibile omnino eſt, ut idea materialis ſemel ſuſcitata actu ineſſe pergat in cerebro *). Decumanus igitur error eſt, & non niſi Vulgo neutiquam vero Erudito homini condonandus, quando idearum figurarumque rerum omnium cognitarum receptaculum & promptuarium cerebrum eſſe putatur. Atque ut admiſſa hac hypotheſi multa phænomena quæ experimur quotidie explicari nequeunt, ita & ex eadem multa conceptu impoſſibilia reſultant & ex uno abſurdo infinita ſequuntur. Sane rectiſſime aſſerente Cl. HALLERO *quia omne quod per ſenſationem ad cerebrum venit eſt motus nervorum ab efficacia objecti excitatus, minus mirum eſt poſſe cauſas internas æmulari actiones externorum corporum ut in exemplo imaginationis vividæ. Vel ſola inſomnia, quæ ſæpe vivida imaginatio clauſis oculis producit*

*) Pſycholog. Rat. §. 244.

ucit non poſſent explicari, ſi epicureas illas imagines ad erebrum ferri adfirmares *.)

Nonne autem abſonum eſt ſtatuere, vigente imainatione cerebrum uno eodemque tempore ſimul gere & pati, figurasque & imagines ſibi ipſis ſe reræſentare? An concipiuntur facile materiales imaines, quæ quod repræſentant intra ſe continent, reumque extra ſe poſitarum cognitione inſtructæ? An um imaginatione mere mechanica conſiſtere valet lierrima imaginantium voluntas, pro lubitu res mulplices remotiſſimas atque a longo tempore haud vis repræſentandi ſibi quam accuratiſſime? Quid dum efixa hæret & occupatiſſima in contemplatione alicus ideæ inquilinæ ex cauſis internis natæ, in ſe quaſi ontracta & ſolitaria imaginatio, quid inquam cohibet iterim organa ſenſuum patula, iisque imperat, ut ommota licet largiter & fortiter ab objectis externis, evolvere ad cerebrum peregrinas imagunculas & leas ad tempus intermittant? Tandem quid de ſenium fallaciis dicam quæ tantopere accuſantur a Philſophis, de correctione earum & remediis huc facintibus ſollicitis. Si ſenſationes omnes tanquam præiſſas conſideraveris, imaginationem & ea quæ inde ſultant conſequi determinatam earum indolem, iisemque neceſſario reſpondere debere ultro concedes. m cum organo diverſimode affecto vel vitio labonte objectisque varie ſeſe habentibus ſæpe diverſæ fallaces admodum circa diſtantiam præcipue, magniidinem, ſitumve eorum, ideæ naſcuntur, falſi multi abſurdi conceptus emergent in intellectu humano, ſolum in ſenſatione mechaniſmum admiſeris, nulla

 aliunde

*) Prælect. ad §. 569. Not. c.

aliunde emendatione accedente. Dum tamen ſibi imponi toties vix ſemidocti patiuntur, quid erroneas ideas corrigit? an illæ ſemetipſas cum rebus externis, facta earum falſa repræſentatione, conferunt? an ſe ipſas ne in ratiocinia ſerpat vitium permutant? & qua dote hoc ipſum præſtant?

Hæc omnia nunc explicet ingenioſus Auctor, aut ſi nequiverit, aliter nos de acquiſita per diurna ſtudia iteratasque lucubrationes artium & ſcientiarum cognitione, ſentire permittat, quam vaſtiſſimam earum ſupellectilem in oſſea capitis capſa tanquam in gazophylacio deliteſcere. Ipſa vulgaris notio memoriæ egregie docente Illuſtr. WOLFFIO quod ſit receptaculum & promus condus idearum, in quo aſſerventur & unde exigente rerum uſu denuo promantur vulgum ſaltem decet eſtque imaginaria & minus exacta *). Fingat ſibi Auctor noſter pro ſua in facultatem Medicam propenſione ſummo Dei dono, aut ad ſtylum ejus ſummo Naturæ operantis artificio olim ſtructum cerebrum Bœrhaavianum in quo non ſaltem omnia quæ a conſummato Medico ſciri poterant, reſidebant, ſed omnium adeo ſcientiarum a litteratiſſimo homine addiſcendarum congregatum reperiebatur amiciſſimum ſodalitium. Mihi quidem dum earum indicem & catalogum ſaltem cogito, idearum mole torpet & opprimitur cerebrum. Hoſpitabatur ibi cum ſuis figuris infanda illa terminorum anatomicorum & phyſiologicorum copia; ſedem fixerant triſtia ægritudinum quæ genus humanum affligunt & ſymptomatum genera, confluxerant tria illa immenſi ambitus naturæ regna, incredibilisque inde proficiſcens materia

*) Pſychol. empir. §. 177. 178.

materiæ medicæ apparatus, & præcipue innumerabiles pene florum, plantarum, ſtirpium icones, in ſuas familias digeſtæ cum variantibus denominationibus. Exſtabant ibi inter propria inventa, quicquid unquam in Chemicorum laboratoriis & Pharmacopœorum officinis extiterat. Delineata habebantur chirurgorum inſtrumenta, malaque ſingula quibus ſanandis deſtinantur. Multa citans enumero pauciſſima, reticeo potiora, quis enim niſi doctrinarum Bœrhaavianarum hæres omnia complecteretur? Stupeo Viri ſummi ſolam tot linguarum cognitionem, quinquageſies forte vel ſexageſies millia vocabulorum in cerebro ejus hærentia, nec capio ubi aſſervari potuerint. Hæc omnia ſua ſibi impreſſa veſtigia debent retinuiſſe, eaque cuſtodiviſſe tenaciter, aliter enim deletis iis & deterſis temporum injuria, aut a novis imaguncculis accedentibus e loco ſuo detruſis, & in fugam actis, exſpiraſſe debuit & in auras abiiſſe parta inſatiabili ſtudio, & vigilatis noctibus operoſa ſapientia. Jam quidem magno capite inſtructus fuit magnus BOERHAAVIVS diveſque adeo mole cerebri exſtitit, ſed nil juvit ipſum omne id, quod in eodem fuit arteria vel vena, nam utraque non ſentit; totusque adeo cerebri cortex receptioni figurarum & perceptioni non aptus, ergo omnis vaſtiſſimæ eruditionis theſaurus aſſervatus eſt in medulla, cujus ſaltem cortex fuit operculum. Nunc fac omne corpus medullæ fieri ſuperficiem in longum & latum diducendam & explicabilem pro lubitu, finge ſpatiola uniuscujusvis figuræ & vocis impreſſioni dicata ad ſtuporem exilia & ſi placet ad punctula mathematica accedentia. Credisne vero & tum locum idoneum futurum idearum myria-

myriadum myriadibus, quas una ſaltem ſcientia perſpecta complectitur, nonne ſi oblivioni hæc non tradenda eſt antequam addiſcatur altera, deerit tandem vacuum pro capiendis novis figuris & ideis? & ſi vel tota hominis machina abiret in cerebrum & medullam, an putas ipſam ſuffecturam Polyhiſtori? Porro ſi infinite parva concipere juſſus fueris impreſſa cerebro veſtigia, quo pacto ubi a ſe toto cœlo diverſis ſtudiis, diverſisque linguis ſimul ſeſe dicaverit Juvenis, caveri poſſe credis, ne confluentium idearum turba evadat eruditionis chaos, oboriaturque in cerebro illa vocum confuſio uti ad turrim Babel. Quis providus Director recens advectas voces & figuras comitabitur ad ſuum territorium? quis ordinem ſeriemque juſtam ipſas tenere faciet? quis ſuis loculis inſeret? quis homogeneas homogeneis apponet, heterogenearumque turbines præcludet? quis deperditis fugacibus aliquot ideis intermediis, diſſolutam reſarciet ſcientiæ mutilæ catenam? quæ ſubeſt ratio cur longævo ſeni qui ſcientiarum oceanum in ſuum cerebrum admiſit, undarum heri allatarum vix hodie ſuperſit veſtigium, cum juvenilium ſtudiorum quæ elui diu & obliterari debuiſſent recens ſuperſit recordatio? Quam bene dixit LANCISIVS *) *plurima eſſe cogitationum genera, quæ nullum cum externis ſenſibus commercium habent, ſed per ſe a rationali Anima proficiſcuntur, cujusmodi exiſtunt ideæ de angelis, de deo, de noſtra cogitatione, in quæ ſecreta mente incumbimus, itemque veritates omnes a materia abſtractæ, ſcilicet quæ a Geometria aut ab Algebra media demonſtratione petuntur*, quæ vero horum figuræ in cerebro? quænam ibidem virtutis amoris

*) diſſ. de ſede animæ cogitantis.

amoris, odii, temporis, æternitatis, ſpatii innumerabiliumque idearum abſtractarum icones?

Fallor vehementer aut difficulter ſatis bonarum literarum divitias in medulla cerebrina cumulari ab eruditis, concipimus; probant potius prolata evidenter, admittendum eſſe ens aliud quod miniſterio cerebri ſenſatione equidem ideas colligat, ſed vi retinendi eas, renovandique pro lubitu quousque ſalvum eſt cerebrum, componendi, nexumque infinitarum conſervandi, resque omnes extra ſe locatas ſibi repræſentandi ſit præditum, adeoque a corpore mechanico & cerebro diverſum.

3. Vix vero Eruditorum mitiſſimum ſine tædio, ſineque mota bile, fere poſſe inſulſum hoc aſſertum & dum proficiſcitur ab homine emunctioris naris, tanto abſurdius, functiones omnes animæ referri poſſe ad imaginationem, animamque proinde nullam dari. Si per ſcalas ordine adſcendendum eſt in eminentem & ſublimem locum ut eo pervenias, ſi adſcenſus ad tertiam, quartam, quintam non ſit poſſibilis, niſi tetigeris primam & ſecundam, ſi ſubruta prima & ſecunda in æternum non pervenies ad ſummam, an eapropter prima & ſecunda ſunt unum idemque cum ſubſequentibus usque ad ſummam? Qualis argumentatio! Sed ulterius eundo per ſimilia quæ ipſe Auctor amat & admittit & literalis ſubminiſtrat, intempeſtive ſæpe, nil niſi allegorias verboſas nihil probantes adferens; mentem explicem, arripiamque cerebrum, quod amat figuris ad crepaturam aut perforationem refertiſſimum! Sit tabula in immenſum longa & lata, pictæ ibi habeantur lineæ, circuli, anguli, coni, numeri; ſint hæc omnia digeſta quam optime in ſuas ſe-

ries

ries & ordines: finge autem hæc omnia exſtitiſſe nunquam, aut nulli unquam fuiſſe cognita, nulli natam potentiam repræſentandi ſibi ea in raſa tabula, quaſi vere eſſent delineata, an dabitur arithmetica & geometria? progreſſusque ad ſublimiores Mathematicorum diſciplinas? neutiquam certe! an vero proinde tabula hæc eſt ipſe Arithmeticus, Geometra, Mathematicus? an qui ſemel hujus ope tabulæ factus eſt talis, ſine ea is eſſe ceſſat? Quis hoc dixerit? imo vero deletis numeris & figuris omnibus quæ ipſi materialiter inhærebant ſibi ad repræſentationem eorum ſufficit, & problemata nodoſa absque earum externa pictura format, & ſolvit ſæpe feliciſſime. Atque ita ſe res habet cum ſenſatione & imaginatione qua ſine nulla daretur repræſentandi facultas, nulla memoria & reminiſcentia, nulla attentio & reflexio, nullus intellectus, nullæ ejus operationes. An autem proinde omnes hæ facultates, omnes hæ operationes menti ſunt imaginatio, licet ex eadem conſequantur? an facultates ſunt ipſa ſubſtantia facultatibus prædita? Pudeat Auctorem miſeri ejusmodi ratiocinii! quin dicam potius narratiunculæ ſcapham ſcapham nominaturus; namque nullo argumento veritatem ejus evincit, cum ipſe ſæpe totus ſit ingenium ſine judicio & ratiocinatione.

Quando autem imaginationem neutiquam abſol vunt illæ chimæræ cerebrinæ medullæ ſentienti e ejus ſententia impreſſæ, ut ex antecedentibus abund conſtitit, unde nunc facultas illa ſine relictis idearum veſtigiis, ſine organorum miniſterio reproducend ideas, diuque præteritas repræſentandi & recogno ſcendi, quæ memoria & reminiſcentia audit? Quis al optim

ptime ſtructo cerebro deduxerit liberum illud arbiriium quod ſingulis horis experimur, quo dum multæ deæ nobis per momenta naſcuntur, unam ex iis ſeigimus pro lubitu, ejusque ſolius repræſentationi acamus & attendimus, neglectis cæteris, quæ tamen equa & majore vi ferire poterant ſenſorium, imagiationemque exercere quam illa ſola. Unde illa paritio ideæ perceptæ, & ſucceſſiva reflexio ad ea omnia uæ ipſi inſunt? Unde reflexionum repræſentatioumve diſtinctio a ſe invicem? unde abſtrahendi poeſtas ſeu demendi aliquid inhærens rei perceptæ atue id intuendi ſeorſim, quaſi eſſet ab illa ſejunctum, ſeparatum? Unde univerſalium ſeu generum & pecierum cognitio, ſingularumque harum in ſuos rdines & claſſes relatio? unde judiciorum affirmanum & negantium nexus? Unde de præviis judiciis idicia, horumque promptitudo? unde ars invenindi veritates novas? Sane qui hæc omnia commiſcet confundit atque gratis pro ſuo captu ad unam imainationem refert, non videtur expendiſſe ſerio graus ſingulos, quibus ad apicem Sapientiæ pervenitur. aucis dicam imaginari abſentia objecta, meminiſſe, eminiſci, attendere repræſentationibus, abſtrahere, otiones formare, affirmare, negare, judicare, ratiociari, appetere averſari, libere velle, & nolle, aliud quid t quam mechanice ſentire & imaginari organisque dictis ad objectum externum aut intus impreſſis figuris eceſſitate quadam cogi ad ſenſum & imaginationem.

Perperam deinde Auctor & otioſe clamitat, non iſtinctum eſſe principium ſentiens & cogitans in omine, atque fruſtra aſſerit ſibi contradicere eos, qui iritum dividant, quem tamen ſimplicem & indiviſibilem

bilem volunt. Talis omnino eſt Anima noſtra, cu-
jus ſimplicitatem vimque unicam evidenter ſatis de-
monſtravit Illuſtr. WOLFFIVS licet potentiis activi-
diverſis eadem inſtruatur. Cui ſagaciorum unquam
in mentem venit objicere defenſoribus Animæ divi-
ſionem ipſius ſpiritus, quando diverſas illius faculta-
tes in abſtracto ſeparant, & ſeorſim conſiderant. Sa-
ne ipſa adeo machina corporis una vi gaudet, nempe
motrice; quando ergo ab hac pendentem facultatem
digerendi alimenta, mutandi ea in chylum, mutandi
chylum in ſanguinem, ſecernendi ab eo diverſiſſima
liquida, excernendi heterogenea, nutriendi & conſer-
vandi machinam, præcavendi & ſanandi morbos ſeor-
ſim conſidero, an proinde divido hanc vim, aut ipſam
machinam, in quam tamen diviſio caderet. Nonne
hæ omnes facultates ineſſe poſſunt indiviſæ machi-
næ? Non ergo putet præter rem & ex abuſu tantum
linguarum nata eſſe vocabula ſimplicitatis, ſpirituali-
tatis, & immaterialitatis. Turpiſſime certe fallitur,
reſpondent quippe ea ideis neutiquam futilibus ſe-
certis & ab organiſmo & mechaniſmo, a corpore,
materia, in æternum manſuris diſtinctiſſimis. Com-
tantur hæ voces inſeparabili nexu illud ens quod co-
gitat, atque ſi multo excellentiori ingenio gauderet
Auctor quam quo pollet, fruſtra tamen evincere mo-
liretur poſſibilitatem cogitantis materiæ. Securus ac
audax poſtulo ut deſtruere aggrediatur ea quæ hac in
re invincibili ratiociniorum robore adſtruxere Illu-
ſtris WOLFFIVS, REINBECKIVS & HVMFREDVS
DITTON tumque illum mihi Magnum Apollinem
futurum polliceor. Vincat parumper inſuperabilem
nauſeam, quæ ex commercio cum Philoſophis &
Theolo-

Theologis ipſi exoritur, & auſcultet ſine præjudicio eorum demonſtrationibus, quaſi ab alio bono Viro, cui veritas curæ cordique eſt, proficiſcerentur. Sole meridiano clarius conſtabit ex evoluta *Pſychologia Wolffiana* Materiam non poſſe ea quæ a ſe repræſentantur inter ſe conferre, a ſe invicem diſtinguere, eorumque tanquam extra ſe locatorum ſibi conſciam eſſe cogitationesque a proprietatibus corporeis extenſione, figura, magnitudine partium, ſitu, motu prorſus abludere, cogique unumquemque vel invitum, qui hæc trutinat ut admittat ſubſtantiam a corpore prorſus diverſam, quam Animam vocamus, quæ organica & materialis concipi nequit. Si hæc ipſi nondum ſufficiant expendat oro & obteſtor quæ de differentiis inter effectus machinæ & operationes animæ terſe & ſolide commentatus eſt REINBECKIVS. Concipiat Machinam ſeu Automatum qualecunque ſummo artificio conditum, quod rationem ſufficientem motus in ſe ipſo continet: habebit ſe hic ſemper ſecundum definitas leges, ex elaterum, rotarum, partiumque aliarum fabrica & ſitu pendentes, ſique motum ſemel incepiſſe ſupponamus, perdurabit ille quamdiu ſtructuræ conditio permittit talis, qualis per eandem eſſe poteſt immutabilis, neque unquam varietatem patietur. Atqui nullæ tales per uniuscujusvis experientiam dantur cogitandi ſtabilitæ leges, ſed ſtupenda celeritate & pro lubitu noſtro multis modis mutatas ſentimus cogitationes, libere eligimus quam proſequi & noſtram facere avemus, cæteras miſſas facimus ocyus tardiusve, pro arbitrio intendimus vel remittimus cogitandi aciem, cogitata diſtinguimus, dividimus, antrorſum retrorſum contemplamur,

emendamus, imo vero faciles & fæcundi ex cogitationibus procreamus novas, geneſinque momentaneam extendimus in infinitum. Applicet hæc Auctor ad meliorem forte frugem rediturus Machinæ & Materiæ quæ demonſtrante REINBECKIO tota ad cogitandum inhabilis & ex ſe cogitationes producere, & natas vel litteris, vel geſtubus, vel verbis, alicui communicare, adeoque a Natura hominis Animam excludere nequit. Tandem ut ſua luce radians veritas quam ſtrenue tuetur Illuſtris ille Triumviratus oculos Auctoris umbris & larvis faſcinatos eo fortius feriat, legat relegatque ſerio quæ contra Deiſtas Patronos Materiæ & hoſtes animæ diſputavit HVMFREDVS DITTON rediturus inde vel convictus vel convincendus nunquam *). Mirum dictu unquam eo delabi potuiſſe maleſanam Sapientiam ut intellectus humani operationes a circulis, quadratis, lineis aut figuris geometricis procedentes ſibi finxerit, demonſtrationes acutiſſimas philoſophicas vel geometricas deducere a motu minutiſſimorum forte globulorum ſubtiliſſimæ cujusdam materiæ in cerebro habere haud erubuerit. Probat exquiſitiſſimis argumentis nunquam ſatis laudandus DITTON cogitationes, ratiocinationes, liberrimamque voluntatem & noluntatem non poſſe habere pro effectubus alicujus materiæ cum a nulla proprietatum ipſi inexiſtentium extenſione, ſoliditate, cohæſione, configuratione, deduci nequeant; imo vero abſonum eſſe velle confugere ad qualitates occultas aut nondum cognitas forte materiæ, quia Deus non amat contradictoria, quicquid demum

*) Von der Wahrheit der chriſtlichen Religion p. 525.

lemum Lockius fingat *). Si vero gratis ſumatur nateriam cogitandi & eligendi facultate eſſe prædiam innumera in hoc Univerſo phænomena ex motu orporum ſecundum ejus immutabiles leges evenientia & pro demonſtratis habita, fore dubia, falſa & bſurda. Ego nil addo amplius pulchre gnarus cum Wolffianis & Reinbeckianis Dittoniana argumena non pigmentis rhetoricis & fabellis ingenioſis exornata, ſed nexu ratiociniorum firmata, futura muum aheneum exiſtenti humanæ animæ, arietantia in e vana ſecus ſentientium molimina eluſurum & rero acturum fortiter; veritatemque hanc ætatem laturam, quin ſuperfuturam poſt fractum orbem, inemque ſeculi, & de ſuperatis hoſtibus ſuis triumphaturam in æternum. Sequitur propoſitio quarta.

4. Hujus autem paradoxi aſſerti, quod nempe adeo virtutis exercitium ab organica corporis ſtructura pendeat, quemadmodum præcedentis & nonnullorum inſecuturorum plane ad Medicos non pertinere ſatis equidem clarum eſt: ut adeo ſi ipſis ſolis ſcriptum Auctor voluiſſet ſuum libellum, talia immiſcere neutiquam licuiſſet, quæ Metaphyſicis & Philoſophiæ moralis doctoribus relinquenda ſunt, quos idoneos & competentes Judices agnoſcere tenetur. Neque Medico mihi incumbere puto eorundem inquiſitionem, quantillum vero etiam mihi ſit peritiæ, quam longe remotus ſim ab iis diſciplinis, quæ ad artem meam proprie haud ſpectant, tamen cum ipſa notione virtutis pugnare mihi videri ea, quæ ſine deductione legitima eloquitur Auctor, libere profiteri haud dubito. Agnoſcit variis locis homines factos eſſe ut ſint

 felices,

*) qui Deum potuiſſe materiæ dare vim cogitandi putat de intellectu humano lib. IV. c. 3.

felices, ab infima plebe ad ſummos mortalium. Neque diffitebitur naturalem eſſe homini unicuique inſtinctum ut ſuam felicitatem quærat & promoveat, id enim quemvis intimus ſenſus & experientia propria docet. Atque rectiſſime jam edixit PLATO in *Euthydemo: Quis quæſo hominum felix eſſe nollet? Dementis ſane eſt hæc talia in quæſtionem deducere.* Ad hunc ergo ſcopum collineant, verguntque omnia mortalium molimina; inde eſt quod omnes ſuas actiones dirigant ad certum finem, quem obtentum medium faciunt ad obtinendum alium ſicque procedunt quam longiſſime, donec obtinuerint illum in cujus fruitione acquieſcant, quoque potiti pervenerunt ad ultimum, quem Moraliſtæ appellare ſolent ſummum bonum. Ut vero homo habilis ſit ad quærendum & obtinendum ſummum bonum in quo ejus reſidet felicitas, præter ſenſum quo bonum obtentum tanquam gratum percipiat neceſſario debet præditus eſſe voluntate liberrima ut malum poſſit averſari, bonum appetere, evitatoque illo, pro acquirendo hoc inventa remedia dirigere vel applicare; debet inſuper pollere intellectu ut illa inveniat, ut cognoſcat veritatem & apparentiam boni, phyſicumque & morale a ſe invicem probe diſcernat; ut phyſica mala vera tamen bona agnoſcat, quando certa ſunt media ad finem ultimum, ut in bonis intermediis non acquieſcat, ut voluntati ſapientiſſime imperet & ad mediorum dextrorum amplexum determinet. Quid autem habendum tandem in hoc Orbe pro ſummo bono, ſine cujus poſſeſſione omnia bona reliqua niſi rectiſſimo tramite & concatenato nexu ad illud perducant, ſunt miſera, futilia, & nulla, & veriſſima mala, in quo ſolo ſolida

ida & inconcuſſa continetur felicitas? Reſpondetur liverſimode. Si vero dulciſſimum illud: *Nil conſci-re ſibi, nulla palleſcere culpa,* mentemque recti juſtique conſciam, ſummum bonum habueris; ſi animum a perturbationibus vacuum ſufficientiam, αὐτάκρειαν, ecuritatem, tranquillitatem, SENECAE vitam beatam, ARASAE artem ſemper gaudendi, allegaveris idem fere ilque a ſe invicem abhorrens dices: tandemque omnes Sapientum veteris & recentioris ævi inter ſe convenire leprehendes, Virtutem inter omnes actiones huma-nas, ultimum exiſtere medium, ad obtinendum finem ltimum, ſummum bonum, ſineque ea felicem & bea-um evadere poſſe neminem. At virtus omnis eſt ctio moralis a libero hominis arbitrio pendens, cui & exercitium ejus & neglectus penitus relinquitur, ineque eo ceſſaret eſſe Virtus; dein Virtus omnis abitum complectitur affectus animi ad moderamen uſtum redigendi, verum moderamen hoc affectuum uccedere nequit aliter quam bonos conſervando, fir-nando & ad ultimum finem dirigendo, pravos eidem-que contrariantes corrigendo & cohibendo: nonne utem utrumque flagitat imperium rationis & cogni-ionem Veritatis? Jam videat Auctor quomodo ſibi reſpondeant actionum moralitas & machina ſecun-lum determinatas leges motus ſuos edens; ſane nec ntellectus, nec voluntas libera in machinam & orga-niſmum cadit! vixque natura cum ſua diſpoſitione & abitu Virtuti ſufficit, quando illa relicta ſibi potius a vitiorum blandimentis abripitur, & deteriora adeo ſæpe ſequi ſolet, licet intellectus videat meliora pro-betque: quorſum vero abibit ſtimulis ſuis mechani-cis agitata, regimenque & fræna entis plus quam ma-

chinæ non experta? Atque quam mancum, quam imperfectum, quam minus abſolutum in hac vita datur ſummum bonum, ubi perpetua obſervatur boni & mali miſcela; perpetuus viciſſitudinum & adverſitatum nexus! id ſola ratione ducti cognoverunt jam priſco tempore Gentiles perennaturum bonum toties fruſtra anhelantes! Quam beati qui ex inſito hominibus vivaciſſimo ſed hic nunquam ſatiando inſtinctu, qui ex innato & in infinitum extenſo, hic loci autem nunquam conſummato nec conſummando deſiderio boni perfecte talis, quod Univerſi orbis gazæ elargiri nequeunt, nil mortale optantes, æternæ felicitatis exiſtentiam conjiciunt! cujus dulcedinem integer vitæ ſcelerisque purus prægustat Animus, quam ſua culpa ſuoque damno ignorant & non ſentiunt Athei. Transeo nunc ad Propoſitionem quintam, qua organiſmo & imaginationi inſtitutio & conſervationi cumulatarum idearum decens attentio neceſſaria judicatur.

5. Vidit ſcilicet ſæpius ſine dubio ipſe Auctor, Organiſmum ſuum multis difficultatibus laborare, inde educationem attentionemque ipſum omnino juvare & perficere, ipſique id quod in homine humanum eſt impertiri debere, affirmare debuit. Quodſi vero dum geneſin idearum deſcribit, figurarumque & vocum cerebrinarum harmoniam adeo inculcat, attendere & examinare ipſi volupe fuiſſet an cum figurata ipſius dictione vocumque multitudine & affluentia juſtæ ſemper ideæ connectantur, ipſe opinor ſterilitatem hypotheſeos debuiſſet introſpicere. Quid enim ſibi vult Organiſmi inſtitutio quæ in eam non cadit, quousque illam extendere licet apud Animalia bruta, vel pro Machinis cum Carteſio habita, vel animabus

inſtru-

nſtructa? Docet univerſalis experientia quicquid imaginari & ſcire obſervantur bruta, quicquid hominum actionibus ſimile & analogum præſtant inſtitutionem humanam experta, quantamcunque etiam intellectus ſpeciem præ ſe ferre videatur, id omne proficiſci a ſenſu grato vel ingrato, memoriaque hujus ſenſus; hujusque ſolius ope abſolvi inſtitutionis artificium quo utuntur eorum Magiſtri certum eſt. Jam fingamus hominem nil edoctum, nilque aliud edoceri aptum quam quod ſenſuum vel grate vel ingrate affectorum miniſterio inſeritur, quodve vel ad voluptatis vel doloris ſenſum aut præſentem actu, aut hærentem memoria tandem redundat; quis illum hominem pro homine agnoſcet, quis non potius talem brutum bipes & humana ſaltem indutum forma habiturus eſſet. Callidiſſima & arte ſumma ab hominibus enutrita & inſtructa animalia generalium & ſpecialium diſtinctione univerſaliumque cognitione deſtituuntur, quæ hominibus propria ſolis; neque ulla inſtitutio eas dotes ipſis infert, ſuperanturque hac nota ab his ſtupidis etiam, ſineque ulla fere inſtitutione ſibi relictis, impolitis, & ab omni ſcientia rudibus, cum tamen vel notæ ejus ſimulacrum eſſe aut arte ingenerari deberet, brutis, ſi ea prærogativa hominum tantum Mechanicæ ſtructuræ cerebri deberetur omnis, a qua brutorum parum abludit. Nonne vero horum omnium conſideratio aliud quid ultra machinam & Organiſmum ultraque brutales vires evectum proprium eſſe hominibus innuere videtur, ſi vel caveatur quam maxime ne a priori gratis ſupponatur anima, quod Materialiſtæ illius Amicis perpetuo exprobrant. Nonne ens hoc ignotum ad quod tandem propter cogni-

tam inſufficientiam machinæ pro explicandis intelle-ctualibus virtutibus confugere cogimur, eſt illud, quod idoneos demum reddit homines ad inſtitutionem, & ad eam potiſſimum quæ abſtractos conceptus involvit, quæ characterum & literarum ope vocabula & cum vocabulis connexas ideas ſiſtit. Nulla a machina & bruto expectanda librorum lectio, neque a bibliothecarum cimeliis ullus ſperandus fructus Organiſmo! quæ vero ſcientiarum ſine literis & libris facies, vix ſceleton referent, neque comparebunt tanquam nutrita & ſucci plena corpora.

Quæ poſtea de Attentione loquitur Auctor, ſi ſerio conſiderentur non ſolidioribus nituntur fundamentis quam quæ de educatione & inſtitutione protulit. Videntur mihi omnia nitidis verbis exarata meræ continuationes troporum in Vocibus pluribus, quæ tamen ſchemata rhetorica abeſſe debent longiſſime a rigidis ratiociniis intellectus auſteritati reſpondentibus. Si definitionibus realibus deſcribendæ eſſent hæ Verborum elegantiæ, vah quam attentio qualem concipit Auctor fugaci imaginationi opem ab eo ferre juſſa fugax & evanida deprehenderetur! Ipſe profitetur imaginationem motu turbulento ſanguinis & ſpirituum expelli facile, ut tempus abiens pellitur ab accedente; ut fluctus abiguntur fluctubus, igitur ipſam adhibere debere ſuos muſculos, & cum chordis cerebri ſervare æquilibrium aliter ipſam non abituram in Judicium. Certum eſt ſi vel cerebro ad tempus inhærerent WOLFFIO dictæ ideæ rerum externarum materiales, quæ tamen per ſuperius adducta ſunt minus ſtabiles & fugaciſſimæ, motu ſanguinis per encephalum a lentiſſimo ſuo & mitiſſimo progreſſu

greſſu quem ſecundum Naturam tenet pauliſper recedente, ſubito eas exterminandas fore, fluido nervoſo ſimul citatiore impetu perculſo. Quam facile fortius & celerius projecto per corticales tubulos cruore inſurgens & ad delirium adſcendens acutiſſima febris vacuaret cerebrum figuris & ideis inhærentibus, earumque veſtigia obliteraret omnia, totamque exturbaret ſcientiam ac quem Ægrum reddiderat Eruditiſſimum Virum, relinqueret idiotam! quam in inſtanti procelloſi animi motus ejicerent in capite latitantem doctrinam, ſi materialem illam fingeremus. Qui enim ſint illi imaginarii imaginationis muſculi qui cerebro imperent & abiturientes ideas retardent & retineant, ego quidem ingenue neſcio. Nulla eorum nec a Myotomia Cowperiana nec ab aliis quibusvis Anatomicis qui minutiſſimos deſcripſere injicitur mentio.

VI.

Nunc autem pedem promoveamus ulterius & a paradoxis ad fœda, infamia, & execranda, nullique bono Viro ſine horrore legenda & cogitanda provehamur; ex ſcopis diſſolutis quas larga manu diſpergit Auctor nullo nexu inter ſe cohærentibus, infelicem ipſius & inſipientem ſapientiam æſtimaturi & deploraturi. Exhibeam meo more nequitiæ & proterviæ ad extremum evectæ aterrimo carbone notandæ ſpecimina in Nuce.

Cum multum ponderis ſuæ hypotheſi acceſſurum credat ſi bruta & homines eædem fuerint Machinæ, ſaltem gradu perfectionis a ſe invicem diverſæ expendere aggreditur *brutorum* in multis *prærogativas*, ac

usque ad certam ætatem hominem magis eſſe Animal brutum dicit, quam reliqua, qui neonatus moreretur fame, ad rivum lacte turgidum collocatus infansque in undis mergeretur, quas aliud animal natando effugeret, qui inani ploratu cuſtodem amiſſum lugeret, quem canis odoratu proſequeretur & inveniret. inferiores ergo natura animalibus homines per ſolam educationem ea ſuperare concludit.

Deinde impugnat univerſale aſſertum: *hominem ſaltem poſſidere cognitionem legis naturalis, bonique & mali, qua bruta deſtituantur, hoc ipſum experientiæ repugnare* affirmans. Nimirum *Animalia loquela deſtituta ſaltem verbis eam prodere non valere,* ſcribit, *factis vero probare luculenter. canem qui Herum momordit, pœnitentia duci, contriſtari, latebras quærere, & repentem ac humilem ex illis redire: leonem illum in publico ſpectaculo objecto homini peperciſſe beneficiorum ab eodem olim acceptorum memorem: multo plures ingratos exiſtere homines & minus humanitati deditos vel bellis cruentis teſtibus quæ generis humani flagella mererentur appellari.* Igitur *quia bruta ſentiunt, deliberant, ratiocinantur, æque ac homines, quia beneficiis & injuriis moventur, quia ſtructuram corporis nobis ſimilem nacta ſunt, doloris & voluptatis æque capacem, quia ſigna pœnitentiæ & intellectus edunt* &c. *patere* credit *pretioſum illud donum de quo agitur ipſis æque haud negatum fuiſſe, Machinasque eorum fere ad eandem perfectionem accedere quam quidem noſtras, neque objiciendum eſſe animalia pleraque eſſe ferocia cum homines audentes diffringere leges naturales æque ferociant, ac bruta, idque apud hæc & illos plus & minus ita ſe habere pro utrorumque temperamento.*

Poſthæc

Poſthæc concedere ſe tantiſper dicit: *ſe forte falli cum totus Orbis contradicat*, concedere itaque vult *Animalia non cognoſcere diſtinctionem boni & mali moralis, ſenſumque propriæ virtutis non habere, nullamque ipſis datam legem naturalem*, quærit autem *quid ex his conceſſis tandem ſequatur?* Reſpondet *homines a natura formatos eſſe ex ſimplici & eadem illa paſta ex qua formata ſunt Animalia, variis ſaltem ipſam uſam eſſe fermentis, ergo etiam de hominibus idem dicendum fore. Si autem certum ſit homines hac lege inſtrui & diſtinguere vitia a virtutibus, inſtructa & eadem lege fore animalia inferiorem ſaltem in formatione fermentationis gradum paſſa. Imo vero deſtrui non poſſe legem Naturalem omnibus Animalibus inſitam* aſſeverat; creditque *ferociſſimos hominum, ſi aliquid ipſi contrarium patraverint, quando nempe temperamentum, morboſa corporis conſtitutio, vitium hæreditatis, graviditas* &c. *in culpa fuit, tamen per momenta pœnitentia duci* quod ipſum multis exemplis probat ab iis deſumtis *qui ſuos occiderunt, devorarunt aut male affecerunt, qui vero quando ad ſe rediere angores infandos & diros conſcientiæ ſtimulos ſenſere.* Ægre autem fert *ejusmodi homines a Judicibus ad ſupplicia condemnatos, qui ſine dubio a peritis Medicis fuiſſent abſoluti. Nunc autem ſi crimen ſecum fert ſuam pœnam, ſi ab omni humanitate alieni homines non evitare poſſunt pœnitentiam & memoriam actorum ingratam, non opus eſſe* opinatur *terriculamentis phantaſticis ignis infernalis ſpectrisque & fabulis nil reale habentibus cum conſcientia unicuivis ſit ſufficiens pœna, tandem aliquando ſtimulos inferens & tortores aliorum torquens; cum vero virtus ſibi ſit pulcherrima merces, & ſuas in ſe foveat*

foveat delicias, ſatis punitum habet illum qui Veritatis non eſt ſtudioſus.

Ex inferno redux Auctor quem varietas & aſſertionum arbitrariarum miſcela delectat iterum accedit ad legem naturalem *non eſſe nos factos homines* declarans *ut ſimus eruditi ut iſti homines nauci & otioſi qui oneri ſunt Rebuspublicis quique per abuſum Philoſophi vocantur, ſed productos a Natura ut ſimus felices, atque hanc eapropter dediſſe omnibus Animalibus portionem legis naturalis quam caperent eorum organa.* Addit liberalis definitionem legis hujus, quam vellem nunquam alibi omiſiſſet dicitque eam *Senſum internum quo diſcimus id nos non debere facere quod nolumus nobis fieri, ac eſſe eum nil aliud putat quam quendam horrorem & timorem ſpeciei & individuo ſalutarem cum forte bonis & vitæ aliorum ſaltem parcamus, ut nobis parcatur.* Ut vero omnia ab imaginatione deducit pro ſingulari ſua ſibique ſoli propria imaginandi facultate, etiam *legem naturalem ad eam refert* aſſeritque *eam nec educationem nec revelationem nec legislatorem ſupponere, ſi nolimus eam confundere cum legibus civilibus quemadmodum ridicule facerent Theologi.* His pro lubitu expoſitis *de exiſtentia Dei* verba facit, licet autem videri velit ac ſi ipſam in dubium non vocet, ſed ſumme probabilem potius habeat; *negat* tamen *exiſtentiam probare cultum & Veritatem exiſtentiæ eſſe veritatem theoreticam*, dicit *nullum uſum in Praxi habentem: atque ut teſte experientia religio non ſupponat probitatem & pietatem ita Atheiſmum eam non excludere* aſſeverat. Ad *homines* autem converſus *quis ſcit* ſatis inepte exclamat: *an non cauſa exiſtentiæ hominis ſit in ipſa ſua exiſtentia qui caſu fortui-*

to

o poterant orti eſſe ut fungi, ita ut neſciamus cur & uomodo, ſaltem ut deberemus vivere & mori.

Ut autem contradictiones & oblocutiones quas fa- ile prævidere poterat, evitaret *non procedendum* vult *in infinitum de quo nobis ne minimam ideam oriri poſſe utumat perinde eſſe* ratus *pro tranquillitate noſtra ſive ateria fuerit æterna ſive creata ſive exiſtat Deus ſive inus. ſtultumque eſſe velle cognoſcere id quod nos non edderet feliciores ſi eo perveniremus.*

Tandem magno calumniator hiatu exuta & ejurata mni verecundia *omnia illa quæ pro exiſtentia Dei vincenda ſcripſere Fenelon, Nieuwentyt, Abadie, Deram, tædioſas repetitiones & inania verba magis Atheſmum firmare quam evertere apta* aſſerit, *quibus arumenta ex naturæ ſpectaculo deprompta nullum ror conciliarent.* Diſputat dein contra Deiſtas & hriſtianos varia & *totum univerſum caſu natum* mas blaterat loquax quam probare nititur, *atheos prææcte perſiſtere Atheos* teſtatus *etiamſi mutaſſe ſententiam videantur quando ægri redduntur, corpore ſano eddito priſtina principia iterum amplectentes.* Laut poſtea Dideroti medici libellum *penſées philoſophiues* inſcriptum *ac quodſi etiam concederetur caſum on fuiſſe rerum cauſam non exinde ſequi exiſtentiam ei* clamat *ſed poſſe eſſe aliquid quod nec ſit caſus, nec eus, nempe Natura.* Eapropter proterve *Atheum mpavidum non timere ſe illapſi Orbis pondere ſubrutum i ait ac Naturaliſtas quoque audiendos* vult *de Oriine Mundi diſſerentes qui motu quo conſervatur illum iam potuiſſe creari contendunt.* Demum egregie romidis loco Amici cujusdam cui forte cum Aucto- animi bona & mala ſunt communia abſurdas aſ- ſertio-

ſertiones allegat *qui ſummam Orbi promittit felicitatem ſi totus fuerit Atheus; tunc enim ceſſaturam religionem, nulla gerenda fore a militibus terribilibus bella theologica, Naturam ſacro veneno infectam puriorem evaſuram, & mortales ſecuturos inſtinctus ſpontaneos naturales, qui ducant ad virtutem & felicitatem.* Addit ſuum Autor epiphonema *hæc eſt lex naturalis, hanc ſequens eſt Vir bonus, ſine hac religioſi ſpeciem affectans eſt hypocrita & impoſtor, probitas autem nullam revelationem, nullam religionem, quæcunque illa ſit, ſupponit.*

*

* *

Atque hæc fere ſumma infauſtæ doctrinæ, a pagina 46 usque ad 69. effræni malitia promulgatæ omnia namque de verbo ad verbum excerpere piget, pudet, miſeret, tædet. Ad illam vero impugnandam equidem vix obligantur Medici, cum tamen & hi ſibi ipſis aliquam notitiam debeant, qua tela hæc peſtilentiſſimo toxico infecta quæ per Orbem nimis eheu liberaliter hodie volitantia jaculatur improba & infrunita petulantia, irretorto pectore excepta retorqueant, ſalvique ab iis perſiſtant, egoque ſemel ſyſtema illud quod texere laboravit Auctor deſtruere aggreſſus ſim, non abrupto dictorum filo inſiſtendum huic reputavi, donec ad Medica iterum comite ipſo perventurus ſim. Agit ille 1. de prærogativa brutorum præ hominibus, 2. legis naturalis cognitionem brutis tribuit, 3. transgreſſores per vitia corporis perperam a ICtis punitos, a Medicis in foro abſolvendos cupit. 4. Conſcientiam pro inferno haberi vult, iterumque de lege naturali nonnulla profert. 5. Exi-

ſtentiam

entiam Dei dubiam monet, 6. homines ſponte ſua bortos innuit. 7. ab Atheiſmo Orbi felicitatem proittit, quem cum lege naturali optime congruere reutat. De ſingulis ſeorſim.

1. Brutis recens natis eſſe nonnullas præ hominius prærogativas, conſervationique ſui corporis eadem tius fieri idonea, ac homines, nemo negaverit. revior vero illis eſt totius vitæ periodus, quam his, itur primum ejus ſtadium a principio ad maturitam citius abſolvendum erat: neque uſibus homium ſatis commode inſervirent bruta, neque apte reonderent ſuæ creationis finibus, ſi incrementum corpris functionumque omnium lentiori gradu procedret. Deinde in univerſum Naturæ leges curioſius attentius conſiderantibus ubique ipſi hunc fere odum conſuetum eſſe apparebit, quod perfectiora us opera tardius ad ſuæ perfectionis apicem ultiumque complementum deducantur, quam alia ignoliora, nullum interim primatum his præ illis adiſcentibus, aut utrisque ſimilitudinem mutuam tanem obtinentibus. Attamen etiam brutales facultas ex hypotheſeos favore haud nimis extendendæ nt, quod artificium aſtute ſatis adhibuit Auctor epiolæ gallicæ materiæ cogitandi facultatem adſcribere natus, quem vero parum attentum fuiſſe ad ea quæ ud puſiones & brutorum progeniem obſervantur aphice docuit Beatus REINBECKIUS. Certe anialibus illis ibi honorifica pompa in medium proctis cani, feli, paſſerique canarienſi connatæ fere t ſaltem cito ſeſe exerentes tribuuntur dotes quas rdius multo oſtendunt, infantique jam quadrienni rogantur, cum tamen ille longe citius evidenter eas prodat,

prodat, nonnullasque vix in lucem editus. Annum egreſſus jam loquitur puerulus, indiesque accuratius, & verbis ditior, res diſcernit, ad quæſita apte reſpondere incipit, ſenſim ad colloquia aptior, cogitata aliis communicat, artisque inveniendi rudimenta ſibi eſſe cum laude indicat, memoriæ indita prompte recitat, judicii increſcentis notas edit, donec tandem cum ætate altius ſenſim adſcendant vires animi. Quid igitur expedit pauciores illas facultates quas bruta cum hominibus communes habent tantopere urgere, quando plures licet tardius evolutas quibus vincuntur ab hominibus nunquam nec artis nec educationis ope obtinent, neque obtinere poſſent unquam, ſi vel ad longævitatem humanam pervenirent.

2. Et ad has jure meritoque referenda eſt cognitio legis naturalis, quam contradicente Univerſo Erudito orbe brutis tribuere frivole ſatis aggreditur Auctor. Nimirum quemadmodum antea brutis patulum ad virtutis exercitia iter ſtruere temere conatus erat, ipſaque ſuæ felicitatis avida, officiorumque erga ſe conſcia fingere fruſtra laboraverat, ita jam (quis hoc fando audivit!) officiorum erga alios ſtudioſa, legique naturali obſequioſa, & ſocietati conſervandæ amica ſiſtere ſterili opere molitur. Conſentiunt harum rerum periti omnes, *Officium* dici actionem ad quam certa lege obligamur, omneque officium legem aliquam ſupponere. Neque opinor lites mihi facile moturus eſt, ex Venerabili Ordine Iureconſultorum aliquis, quando legem vocavero Normam faciendorum & omittendorum, ac omnem legem ſupponere ſuum Auctorem ſive *Legiſlatorem*, eundemque jus & vim obligandi habentem ad executionem ſuæ volun-

tatis

atis, adeoque iis quibus lex ſcripta eſt ſuperiorem ſta-
uero. Porro non a vero aberraturus ſum, ubi dixe-
o omnem legem involvere certum *finem* in quem
promulgata fuit, eaque propter opus eſſe ut illius Au-
ctor polleat intellectu & libera voluntate, ſine quibus
ognitio & electio finis non concipitur. Dein quo-
que clarum fore confido legem & legislatorem requi-
ere *ſubditum* hoc inferiorem qui obligari poteſt, ad
ervandam illam, ſubditumque præditum eſſe debere
otentia intelligendi legem & liberrima voluntate, nam
n entia ſine intellectu & voluntate lex neutiquam
poſſet cadere. Tandem ſponte appariturum credo
egem omnem involvere *comminationem pœnæ* eos
nanentis qui transgredi audent, vel & *præmii pro-
iſſum* iis qui obedientes ſeſe præſtiterint. Atque
æc omnia ſi quid video legi omni eſſentialiter adhæ-
ent, nam ſi horum unum quicquid demum ſit tollere
olueris, ſublatam ſtatim videbis veram ideam legis.
Vix igitur quis expectaſſet ab Auctore noſtro cui ad
naginationem referre legem naturalem placuit, cum
mnia quæcunque habet ad eandem ab illo referan-
ur pro lubitu, quod aſſerere non dubitaturus ſit, ea-
ropter illam nec educationem, nec revelationem, nec
gislatorem, ſupponere, niſi ipſam more Theologorum
onfundere velimus cum legibus civilibus. Probe no-
i Theologos eruditos quibus cum legis civilibus nul-
res eſt, præterquam quod probent Chriſtianiſmum
eo magis quam hominibus obediendum eſſe incul-
antem, non tollere officia boni civis, ſed urgere obe-
ientiam, qua civili juri Summisque imperantibus ob-
ringimur; tales Theologos inquam, ſi forte VA-
ENTINVM ALBERTI excipias, longe alienos eſſe

ab ea ſententia novi, juris naturalis principium ex revelatione repetendum eſſe. Ipſe autem nil moror, quin concedam lubens legem Naturæ non ſupponere educationem, cum ante eam & ſine ea apud homines vel maxime barbaros inſita lex maneat, licet culturam ejus & praxin educatione perſici, aſſerere haud dubitem. Verum enim vero legem Naturæ non ponere Legislatorem neminem admiſſurum crediderim, qui ſanæ rationis ductum ſequitur, ſolique Auctori forte qui effectus concipere poteſt ſine cauſis, id quod ipſi fere per integrum libellum ſolemne, ea eſt vis imaginationis, ut abſona & a ſe exiſtere neſcia poſſibilia & vera habeat. Quis ergo Legislator? quem poſita lege requirent neceſſario & deſiderabunt ſine exceptione omnes, a legibus ſobrie cogitandi non alieni. an ab ullo hominum lex naturæ? ſane omnes ſanctiones hominum ſuperiorum & imperantium pertinent ad jus civile, cum quo naturale confundere nefas. forte a Natura? num autem phyſica illa in hoc mundo adſpectabili ſeries cauſarum & effectuum ſuis immutabilibus coërcita legibus eas egredi auſa leges ferret hominibus & brutis? an forſan caſu nata? probet id cui ludere in re ſeria volupe. Sin minus quis tandem Legislator ſupereſt? Nullum ego alium invenio niſi DEVM! Ponit quippe conſiderata lex naturæ ens liberum, ſapiens, & juſtum, rectiſſime igitur illa divinæ ſtatuitur originis! Oleum & operam perdit, qui aliunde exiſtentiam juris naturalis deducere ſatagit, quam ex Theologia Naturali, DEI exiſtentiam & attributa evincente. Ex hac ſola tanquam ex unico fonte genuino naturalis juris principia profluunt, omnia hominum officia erga ſe invicem præſupponunt

ponunt officia erga Deum, lexque naturæ adeo ſine Deo eſt non ſaltem ens rationis, ſed non ens plane, quod ne quidem fingi poteſt. Docuere hoc non heri aut nudius tertius ſed a longo tempore ſagaciores Juris naturalis doctores ad unum omnes, ad quos audacter provoco. Contra horum exercitum quocum pugnare aggreditur, quicquid machinetur Deo rebellis Auctor, id unius aſſis habiturus eſt cultior Eruditus Orbis. Sique ille petulantiſſimo ſtudio non raptim & obiter quicquid in rem ſuam facere viſum eſt, depromere ex ſcientiarum penu & adaptare ruinoſæ ſuæ hypotheſi allaboraret, ſed nexum diſciplinarum ſyſtematicum curæ cordique haberet veritati operam narans, non opinioni & ſi ita loqui licet libertiniſmo, ethicam, Jus naturale, & Theologiam naturalem æterno fœdere ſibi jungi, neque poſſe a ſe invicem divelli introſpiceret ipſe. Age vero progrediamur ulterius.

Definitionem ſuppeditat Auctor præter morem juris naturæ, quod ſit *ſenſus internus id nos non debere facere aliis, quod nobis nollemus fieri.* Linquamque ipſi illam intactam. Jam vero nolumus eſſe infelices, ſed noſtra omnium ultima Voluntas tendit ad noſtram felicitatem: cum autem nemo iis viribus ſit inſtructus, ut ſolus promovere queat ſuam felicitatem, ſed communi aliorum juvamine ad eam obtinendam indigeat, ſequitur omnino unumquemque ita debere ſeſe gerere erga alios, ita eorum felicitatem juvare, ut confidere liceat fore ut illi etiam ſuam juvent, nemini nocere, ne ipſi noceant alii. Atque exinde patet rectiſſime principiis Juris Naturæ haberi non bellum omnium contra omnes, ſed docente GROTIO, PVFFENDORFFIO & aliis, Socialitatem,

 com-

communem amorem, mutuam omnium erga omnes Amicitiam. Licet vero hæc ſocialitas juncta ſibi invicem arctius, cicurandis turbatoribus, excuſſo jugo legis, communem ſecuritatem & tranquillitatem averruncare nitentibus ſerviat, tamen minus recte Auctor Jus Naturæ nil aliud niſi ſpeciem horroris & timoris vocat quo ducti parcimus aliis ut nobis parcatur. Ita nempe quo potentiorem quis ſeſe experietur, eo minus teneri ſeſe Juris naturalis vinculis prona conſequentia eliciet; imo vero tanto lubentius arripiet & ſua faciet infelicia dogmata Spinoſiſtica, quibus jus naturale hominis non ſana ratione, ſed cupiditate & potentia determinari adſtruitur *). Euge bene! quam pulchre hæc reſpondent ævi quod labitur genio, immenſurabilique libidini habendi eorum penes quos rerum potitos eſt in Orbe ſumma & libera quælibet audendi poteſtas! en patulas effræni licentiæ & iniquitati vias, ruat effuſis habenis dirutis limitibus quorſum velit! en infauſto ſidere & horrente natura abrogatas naturales leges! en ſalvam cædibus & rapinis libertatem! en bellorum quæ fruſtra generis humani flagella nuncupat Auctor, ſub quovis prætextu ſuſcipiendorum gloriam! Vah ſeculum ægrum & ulceroſum! Væ vobis Mortales miſeri niſi Optimorum Principum, Patrum Patriæ, Deliciarum generis humani, æqua ſapientia & ſibi obligationem indiſpenſabilem imponere immutabilem naturalem legem convincatur; cujus ignorantiam prætexere nil juverit, quam æterna oriundam ſede non peſſundat heroicus ad tempus, ſed brevi fluxæ vitæ curriculo circumſcriptus Antinomianiſmus.

Quodſi

*) Tractatu theologico politico cap. 16.

Quodſi vero forte non validis ſatis viribus inſtru-cti ex Auctoris mente ſaltem parcimus aliorum opibus & vitæ, ut nobis alii æquis induti viribus aut noſtris ſuperioribus quoque parcant, formidine ſola a raptu & invaſione tantum revocati, quomodo cum eximia hac lege naturali ad Sarmatas & Getas releganda quæ organiſmo adgenita putatur, conciliabitur ſpontaneus ille & pronus in virtutum exercitia impetus, qui in antecedentibus & ſubſequentibus non minus organiſmo adſcribitur. Oderunt peccare boni virtutis amore, oderunt peccare mali formidine pœnæ! forſan illi ad Ethicam, hi ad jus naturale ſpectabunt? ſed utriusque arctiſſimus datur nexus, quosque bonos præſtitit ethica propriam felicitatem promovere docens, bonos quoque & habiles ad aliorum promovendam reddit, amoreque ſui ad obſequium ſuaviter trahit amiciſſima ſocietati humanæ lex naturalis; ferocientes & beſtiali rabie in bruta degenerantes ſuæ libertati relinquens, non machinarum rotis & vectibus ſed rationalium hominum cordibus inſcripta affectuumque debacchantium impetu obfuſcanda & obtegenda.

Ecquis autem hæc omnia accuratius expendens eo procedet facile ut bruta intima hujus legis notitia imbuta ſibi perſuadeat? quis ſenſum boni & mali impulſumque naturalem ad mutua officia ex eorum actionibus hariolabitur? Leges certe quæ officia præcedunt, ſubditos ut dictum ponunt intelligentes, ut vim & valorem earum interpretentur, & capiant, liberamque voluntatem volunt, actionumque moralitatem quæ ſine cognitione prævia non concipitur. Cæterum characteribus & verbis quibus alioquin leges pro-

mulgantur, quibus tamen bruta non moverentur, haud exarata eſt lex naturalis, ſed relictæ ſibi rationi impreſſa, & nexu ratiociniorum cognoſcenda & explicanda, ad quæ brutales facultates ad ſummum evectæ non aſſurgunt. Ipſe Hobbeſius *) quanquam falſiſſimis Juris Naturalis principiis uſus rectiſſime tamen *in regno Dei* ait *pro ſubditis habemus non corpora inanimata nec irrationalia licet potentiæ divinæ ſubjiciantur quia præcepta & minas Dei non intelligunt.* Non ergo in beſtias cadere poſſunt leges, nulla ipſis ſervandorum præceptorum ad quæ cognoſcenda & dijudicanda nec propriis facultatibus, nec vi externa, nec arte unquam deduci poſſunt, obligatio; nulla proprie ipſis delicta imputanda, nullæ ipſis decerni queunt violatarum legum pœnæ, neque ulli imperio ſubjacent, ad dominium ſaltem referenda. Quid ad hæc omnia Auctor? an fronte impudente tenax tamen inſiſtet temere prolatis aſſertionibus? eas ipſi non equidem invideo, miror magis; ſed ſi renuat illas futiles agnoſcere, comitibus ipſis ſe patiatur duci ad abſurdum. Demus contra omnium Sapientum ſuffragia hominibus cum brutis communem eſſe Naturæ legem, en ſtabilitam inter homines & beſtias ſocialitatem, mutuamque amicitiam, quæ ſi ineunda primo cum ſimiis, nefas erit inſontes amplius alligare catenis, & ludibrio habere, aut niſi læſionum finis ſit, condita curante Auctore nova earundem Republica, jure naturali ita ſeſe gerent erga homines. Ita a lanione Societatis turbatore percuſſus ſecuri bos, neque occiſus leviori ictu, ſed vincula rumpens lanionemque cornubus perfodiens, juris naturalis permiſſu

id

*) de Cive cap. 15. §. 2.

d patraſſe dicendus erit. Ita nulla amplius homini-bus erit licentia veſci mactatorum animalium carni-bus, aut æquo jure animalia evadent anthropophaga. En quam elegantes ex præmiſſis miſeris & ficulneis argumentis fluant conſequentiæ!

Prorſus certe fruſtraneo labore ex actionibus qui-busdam animantium brutorum canis pœnitentis & timidi poſtquam herum momorderat, ac leonis grati paſtorem qui olim pedi inhærentem ſpinam exeme-rat, in ſpectaculo publico dilacerare renuentis juris naturalis cognitionem apparere conjicit, quam ſaltem loquela teſtari haud poſſent. Omnes certe actiones tales quarum plures cumulare nil attinet, illasque adeo quas animalia bruta humana diligentia inſtructa promptitudine & dexteritate ſingulari edere miramur; licet intellectus quoddam analogum præ ſe ferre vi-deantur, ex nullo tamen alio fonte legitime atten-dentes proficiſci obſervabimus, quam ex ſenſu phy-ſico grati & ingrati quem vel percipiunt actu, vel cu-jus perceptionem memoria tenent. Neque hæreo quin illico profitear fuſtes & baculum, paſtumque famem expellentem, aut cibos ex heri culina ultra conſuetum victum delicatos, canibus & reliquis bru-tis eſſe ethicam & naturales leges quibus ad actiones laudabiles & officia invitantur & perducuntur; mo-rale bonum & malum, rationaliſque juri naturæ de-bita obligatio captum eorum ſuperat longiſſime. Agunt omnino bruta ſecundum natas ſibi ideas & ima-ginationem, quis enim hoc facile negaret, eaque pro-pter apta habentur ut cum nutu domini conjuncta idea doloris quam intulit heri aut nudius tertius ſcu-tica, malum impetum refrænet & compeſcat, vel ju-

ſculi pinguis reminiſcentia calcar ad officium præſtandum addat; ſed ipſorum velle & nolle, omniſque adeo pœnitentia ſoli ſenſationi debetur. Optarem ego videre canem qui gratus abblandiretur homini benefactori os luxatum aut fractum curaturo; cavendum huic erit a morſu, ſi vel peritiſſimus fuerit Chirurgus. Neque puto actione ulla grates ſervo ante fores teſtaturum aliquem moloſſum plagis politos mores & comitatem edoctum, quæ rudem ingreſſum in delicatulæ dominæ conclave non permittit. Deſtituuntur quippe bruta diſtinctis conceptubus bonumque & malum abſtrahendo a ſenſu concomitante non diſcernunt, neque ad officia obſtringuntur niſi inſtitutione ſenſuali, qua internum eorum pretium haud aſſequuntur.

Atque huc redit Brutorum ethica & jus naturæ, quod Auctor ambigens ſemper & fluctuans ipſis tribuit, quod tamen ubi eſſe illis negaveris, hominibus quoque abnegandum fore ſatis inepte contendit, quoniam brutorum & hominum corpora ex eadem paſta coalita obſerventur. Adeo nempe placet ipſi Organiſmus & Mechaniſmus ut negare potius nunquam neganda, affirmare nunquam affirmanda, miſerrima refugia quærere legemque adeo naturalem limoſam & lutoſam ſibi fingere malit quam corporis & materiæ inſufficientiam, quæ in omnium præjudiciis non obnubilatorum oculos incurrit, concedere. In riſum ſolvi debent lectores rerum intelligentes, ipſique Heracliti & Catones, quando corporibus hominum formandis Naturam impendiſſe nobilius fermentum, brutorum autem corpora inferiorem gradum fermentationis paſſa eſſe, cum cæteroquin utrorumque materies

eries ex qua condita fuerint ſibi ſit ſimilis, affirmare
non erubeſcit, indeque prærogativam qua homines
uris naturalis cognitione bruta anteeunt, derivare ſat-
git. Verum eſt, non de meliori luto finxit præcor-
lia Numen, hominibus, quam brutis. Aqua terra &
gluten oleoſum ſunt illa elementa ex quibus diverſa
proportione miſtis rationalium & irrationalium ani-
nalium corpora, eorundemque ſolida & fluida coa-
uere, ipſaque cultior chemia igne examinans ſangui-
nem humanum & brutorum corium, carnes, & oſſa
utrorumque, ungulas equorum, cornua boum, den-
em elephantis, ungues humanos, dentes humanos, ca-
pillos humanos, pilos, ſetas, villos animalium coctio-
ne & deſtillatione; eandem elargiri aquam, gelati-
nam eandem, eundem ſpiritum ſalemque volatilem,
dem oleum magis minuſve fœtens animadvertit,
elicta eadem terra. Nil diverſi a ſe obtinetur ex
diverſis diverſorum animalium partibus arte ulla, li-
cet aliter olim ſtatuerint nonnulli. Atque hacte-
nus bene! verum ne tyronem quidem ſed hoſpitem
plane in chemicis, ſe omnibus peritis monſtrat Au-
ctor, quando de fermentatione & fermentis invito
Apolline verba facere audet. Bene equidem ſcitur
mihi, olim Chemicos totam naturam fermentantem
ibi finxiſſe, actionesque & operationes ejus omnes
ermentatione abſolvi ratos fuiſſe. Neque ignora-
ur facile Medico HELMONTIVM, WILLISIVM,
ISTERVM & alios fermentationis Patronos in
mnibus viſceribus collocaſſe fermenta, ſuaque ſeor-
m cuilibet ſecretioni adſignaſſe, imo vero nullam
ere in corpore mutationem aliter niſi per definitam
uandam fermentationem explicaſſe. Ita peccatum

 gravi-

graviter & erratum diu a Chemicis non Medicis, quibus oppugnandis & ad meliorem frugem reducendis haud ſufficiebant Medici non Chemici. Illi nimis multum hi nimis parum dederunt fermentationi, utrique perperam. Fecére autem dein præcipue immortales illi Triumviri BOHNIVS, HOFFMANNVS, BOERHAAVIVS, quibus in his ſtudiis jure ſuo meretur jungi STAHLIVS, ut ſuos ipſa errores ſanior chemia repurgaret, debetque ipſis cultior & verior Medicina, quod non amplius fermentet, poſtquam ex Phyſiologia & Pathologia fermenta imaginaria ejecta ſunt, quibus Cippum non inelegantem poſuit Clariſſ. DOLAEVS *). Diſcat ergo Auctor noſter his uſus ducibus, minus appoſite minusque opportune ad hoc aſylum ipſum confugiſſe. Perpendat porro breviter: fermentum Chemicis dici id quod admiſtum corpori fermentabili motum ejus inteſtinum excitat; fermentum nullum dari niſi depromptum ex regno vegetabili; non dari aliquid fermentabile niſi ſubjectum fuerit ad claſſem vegetabilium pertinens; fermentationisque effecta & producta eſſe Vinum, acetum, alcohol. Nunc vero applicet hæc ad animalia & videbit turpiter & inconcinne fermentationem & fermenta ad eadem trahi cum in putredinem potius naturali mixtione vergant, ſale ſuo volatili alcalino fermentationi e diametro oppoſitam. Nil in toto Animali fermentabile præterquam lac, idque ex vegetabilibus alimentis elaboratum, omnes humores reliqui nunquam fermentant. Nondum in noſtram naturam converſa alimenta ex vegetabilium familia patiun-

*) legitur in calce diſſert. Hoffmannianæ de fermentorum morbificorum ejectione.

tiuntur quandam fermentationem in ventriculo, on autem ultra ejus limites extenditur, neque diu rat, nec abſolvitur a bilis ſolius admiſtione cito inbenda; nulla vero unquam in ſanguine fermentio, nullum in ſemine humano fermentum, nulla rmentatio in utero, ergo ex hoc fonte nulla anthropgenia. Atque quod maximopere inculcandum & tente animadvertendum volo, fermentatio a fermen- proritata eſt motus particularum inteſtinus, ad ſtruendam corporum naturalium compagem faens, male igitur Auctor fermentis uti naturam ſtait ad efformanda & conſtruenda hominum corpo-, forte quemadmodum Piſtores coquentes panem, nni omnium Medicorum doctorum conſenſu pertuo cariturus. Ego nunc meo officio me defunum autumo, poſtquam ferventi ejus ingenio juſta media antizymotica ſcripſi; det operam ipſe ut abluta fermentatione fœculentæ ejus meditationes bſideant, atque clarioribus, perſpicuis & defæcatis eis & conceptubus locus quem ſibi depoſcunt, relinatur.

3. Doleo ſi inurbanum minusque comem me quetur, cum ipſum ea duci propenſione in Medicos viam, ut honorificum locum ipſis in JCtorum Judimque ſubſelliis adſignandum poſtulet, ad actiones orum hominum juſtius decidendas, qui corporeo tio ægritudineque invitati ad mala & illaudabilia faa, pœnas ex ipſius ſententia dare nequeant. Memini hoc ipſum non raro urſiſſe Medicos, ad polyagmoſinen non faciles ſed cordatos & boni publici udioſos. Neque dubito reos abſolvi, innocuos plei interdum, ferrique in foro ſubinde ſententias

æqui-

æquitati naturali contrariantes, quas ſine præſcitu Medicorum in conſilium vocatorum promulgaſſe religio eſſe debebat. Non ſufficit Judici evolviſſe obiter Volumina Medicinam forenſem complectentia in quibus omnibus ſæpe caſus analogus fruſtra quæritur, neque omnia ab erroribus & nævis vacua. Multa olim obſcura clarius hodie ſciuntur Medicis, multa pro veris habita falſiſſima cognoſcuntur, & verſa vice, quæ in ſe dubia, obſcura, falſa ſi cynoſuram Votorum collectioni in JCtorum Collegiis præbeant, minus favere queant ſententiarum rectitudini & juſtitiæ. Cum intellectum legis & liberum arbitrium transgreſſoris omnis ſupponat imputatio, patet facile eos qui machinæ ſuæ vitio in animam ſerpente, rationis uſu, voluntatisque ab eadem regendæ moderamine deſtituuntur, pœnam quam lex minatur, & dictat, ſubire neutiquam poſſe. Et de his merito penes Medicos ſolos debet eſſe judicium, qui non ſufficiente hactenus inſtructi auctoritate a ſummorum Principum juſſu eandem data opportunitate debent expectare. Non vero eapropter ad Auctoris caſtra erunt tranſituri, cujus principiis admiſſis, vix datur præmium aut pœna quando hæc & illud cum Machina & actionibus mechanica neceſſitate inde oriundis conciliari nequit.

4. A Judicum tribunalibus recedens Autor non recta puto eoque tendente via ſubito deſcendit in infernum: nempe

Noctes atque dies patet atri Janua ditis,
Sed revocare gradum ſuperasque evadere ad Auras
Hoc opus, hic labor eſt.

Hunc autem totum phantaſmatibus & fabulis refertum, atque deliramentis circumſeptum inveniens, alto ſuper-

ercilio deſpicit magnanimus irretorto pectore he-
, roboreque & ære triplici munitus, qui inexora-
e fatum, ſtrepitumque acherontis avari ſubjecit pe-
us. Linquunt prudentes Poetarum Pictorumque
entiæ ſquallidum, cornutum, hircinisque pedibus
udum Cacodæmonem, dolentque rudem & male-
am plebeculam horrere terribilem formam, carbo-
sque & ignes expaveſcere, cui horrori eſſe fœda
ccatorum illuvies debebat. Nil vero ſapientes
ovet

bellua Lernæ
horrendum ſtridens flammisque armata chimæra
ac qui cœno vaſtaque voragine gurges
æſtuat

on terrentur mœniis

quæ rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegeton

on audiuntur ipſis

gemitus & ſæva ſonare
verbera, tum ſtridor ferri tractæque catenæ

on obverſatur oculis ipſorum, quæ

continuo ſontes ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, torvosque ſiniſtra
intentans angues
roſtroque immanis obunco
immortale jecur tendens
& furiarum maxima juxta
exſurgens tollensque facem.

Omnia

Omnia hæc & his ſimilia de inferno, Paganorum narratiunculis oriunda ad Chriſtianos translata potius ægre ferunt ſagaciores, neque audiunt curioſos & ſciſcitantes ſollicite ubinam locorum Gehennam concipere liceat, ſive Montium ignivomorum Ætnæ ac Veſuvii barathrum, & triſtes hiatus, pandere ad illum aditum ſibi imaginentur; ſive valde incertum illud τὸ in ipſo ſole, pavido tremuloque cultu eapropter a Gentilibus adorato collocent. Multum vero abeſt ut proinde omnem infernum, per quem infelicem ſtatum Animæ poſt mortem corporis ſui intelligunt riſu excipiant, aut ſola conſcientiæ ſtigmata quæ ſontes affligere conſuevere ipſum tantum abſolvere ducant.

Mirum autem valde, hanc admiſſam ab Auctore dum principiis ipſius non bene reſpondet: namque cum recte conſcientia dicatur judicium internum ſibi nunquam mentiens, quod actiones noſtras ad examen revocantes, ipſi de æquitate & iniquitate earundem ſecundum rationis legisque inſitæ dictamen nobis ferimus, ægre valde hanc ideam cum ipſo Mechaniſmo conciliari liquido conſtare opinor. Id certum eſt per propriam & perpetuam uniuscujusvis experientiam, boni & mali, honeſti & inhoneſti e diametro ſibi oppoſitum diſcrimen, omnibus hominibus idem, nullis delebile, quemvis alta mente repoſtum perſentiſcere; quo fit ut pravas actiones ſtatim preſſo pede pudibunda inquies ſequatur, bonas aperta & ſerena mentis tranquillitas comitetur. Verum nulla imputatio, nulla accuſatio, nulla condemnatio poteſt concipi, niſi ſimul certo conſtet nos libera voluntate potuiſſe facere quæ infecta ſivimus, potuiſſe abſtinere

ab

iis quæ perpetravimus, niſi intellectus imperator
luntatis veri & falſi, juſti & injuſti notitia fuerit in-
uctus. quem enim legum ignarum in jus vocare
eret, quis rationem reddere teneretur eorum quæ
ſcio ipſo, invito & renuente fuiſſent facta. At Me-
aniſmus & Organiſmus omnem intellectum & vo-
ntatem excludit, quod toties jam inculcavi, non con-
us ſibi eſt, nec eſſe poteſt eorum quæ acta fuerunt,
lla ipſi motuum actionumque libertas, nulla juſti
veri notio, adeoque nulla concipi poteſt conſcien-
, niſi in ente intelligente & libero quale eſt Anima.
que vero ipſa ſibi eam lancem acceptam fert, qua
iones omnes rigide & accurate expendat, ſuumque
nibus & ſingulis pondus ſtatuat, aut deneget, ſed
od eleganter elocutus eſt Cl. SARASA: *Ceſſit Deus
i ſuo, quod pro ſummo ſuo imperio habet, judi-
di de rebus mortalium, illudque totum ipſis cre-
lit, cenſuram ſibi ipſis commiſit, conſcientiæ ipſo-
n vicarias ſuæ jurisdictionis partes delegavit* *).
licet multa in cordibus hominum latent ar-
a & abſcondita, cenſori nullo, teſtibus nullis
oxia, quibus quandoque immoriuntur, nemine ad
e finem, ad rationem reddendam ipſos adigente,
e tamen cum in propria adeo cauſa favorem ab-
i judicii facilem non habeant, ſed per tempus ſæpe
e longum tacitos angores inferant, quietem nul-
a indulgentes alium quendam omnino Legislato-
n arguunt. Atque ſi potentiſſimum in Orbe Prin-
em contuitus fueris cuncta ſupercilio moventem,
que habentem quod ab hominibus timeat, ultra
omnem

*) Artis ſemper gaudendi Tom. II. Tract. I.

omnem humanam vindictam evectum; nil eum juvent inter medios triumphos res geſtas aſtris inferendas clamitantium Adulatorum plauſus & ſtrepitus, niſi internis ſuffragiis conſcientiæ tutus nullos ejus morſus perſentiat: non enim ille efficiet ut interdum ad ipſa encomia haud expaveſcat, timorque & minæ ſcandant eodem quo dominus loco, & poſt ipſum ſedeat atra cura, quando legem internam a ſummo tribunali promulgatam aliquando refricat in ſe rediens mediculoſa Anima, Judicemque dari ſuperiorem monet, eumque agnoſci cogit & ſeſſurum olim ultorem, certo dictitat. Adeo id verum eſt ſi rite intelligatur quod ſcripſit SENECA: *Prope eſt a Te Deus, tecum eſt, intus eſt; Ita dico Lucili ſacer intra nos ſpiritus ſedet, malorum bonorumque noſtrorum obſervator & cuſtos* *).

Evicta autem exiſtentia animæ humanæ ejusque immortalitate, quam nemo ſimplicitatis ejus & incorruptibilitatis gnarus temere negaverit, quamque gratis certe haud ſumo, ſed ita adſtructam vel a ſolo WOLFFIO & REINBECKIO qui hac in re theologum non egit, contueor, ut nemo Materialiſtarum muſſitare debeat, antequam inconcuſſa illorum argumenta inſufficientia demonſtraverit & infregerit, evicta inquam ejus immortalitate haud difficulter probatur, & poſt mortem corporis ſui, ipſam priſtini ſtatus non obliviſci, ſed omnium rerum geſtarum permanere conſciam. Non ergo erit abſurdum credere, opera vivo corpore peracta ſequi abiturientem animam; atque a rectitudinis & iniquitatis eorum conſcientia & memoria, a qua vel tranquilla vel turbulen-

*) Epiſt. 41.

ılenta mentis conditio etiam in hac vita unice pen-
:t, etiam in altera vita magnam partem præmio-
ım pœnarumque profluxuram fore, vix negari pot-
t ab ullo, qui excluſa omni revelatione ſaltem ſanæ
tioni haud repugnat. Quando igitur nemo niſi
ɔnus experiri poteſt placidam animi quietem, mali-
ıe omnes etiamſi ad tempus quaſi ebrii & ſopiti
men radere indelebili cælatura cordi inſculptam le-
:m, declinare in abditis pectoris penetralibus conſi-
ım forum, erectumque ibi tremendum & falli ne-
ium tribunal evertere nequeant, vivo ejus judicio
ıgulis momentis expoſiti; quando hi nequiſſimi
ɔmines perpetua inquie agitati, ac diurnis noctur-
sque pavoribus & anxietatibus patentes, ad conſci-
ıtiæ tacitas acclamationes ſurdaſtri, ad propriam
ɔndemnationem obfirmati perſiſtere neſciunt; non-
: inchoatum in hac vita ſenſum inferni comitem
ɔique quicquid egerint, circumferunt. Jam fac
:quitiam omnem eorum imbuiſſe animam, illamque
ıpegiſſe graviter in leges illas quas ab æterno ejus
ıctore profectas mentibus humanis Natura inſe-
t; neglexiſſe animam refractariam attributorum
ivinorum ratione perſpiciendorum exemplar perfe-
iſſimum factis exprimere; detrectaſſe ſibi incum-
:ntem naturalem cultum & obligationem; nil
rofuiſſe ſocietati ſed damna illi intuliſſe innu-
ıera, neque fines ſuæ exiſtentiæ perpendiſſe un-
ıam, neque mediis ad eos obtinendos fuiſſe uſam,
ınc vero ſubito collabente in pulverem abitura ma-
ıina unionem ejus cum hac anima diſſolvi. An vero
bera a corporeis vinculis talis anima rerumque acta-
ım bene memor perſiſtens, ſuorumque deſideriorum

& inquietudinum tenax non dolebit impenſe temporis irrevocabilis jacturam? nonne horridam ſibi ipſi debitæ impoſturæ repræſentationem, inſatiabilem olim cupiditatum impetum nunc frænatum & inhibitum, ſpes magnificas ſubito præciſas, rodentes & lacerantes angores, mordaciſſimum livorem, ſerotinam pœnitentiam, opprobria, confuſiones, indignationem, furorem, deſperationem, ignominiam, exprobrationes, ſæviſſimos tortores infandis ſuppliciis cruciaturos experietur? Nunc concipe offenſiones geminatas & multiplicatas illatas eſſe enti infinito & æterno; deinde inter homines adeo non læſiones in ſe, ſed perſonas læſas conſiderari, harumque reſpectu graviores & diutius duraturas ſæpe ad terminum vitæ reis pœnas aſſignari; nonne vel ſola ratio aſſequitur crimina læſæ majeſtatis ſummæ & æternæ pœnis temporalibus non fore expianda? ſed accedente ſera Numinis vindicta, nunquam finiendis pœnis afficiendos fore temerarios legum divinitus promulgatarum contemptores, quarum pœnarum æternitatem quam poſt Origenem noſtro ævo accurtare, limitare, & finitam reddere intempeſtivo affectu nonnulli laborarunt, tamen aſſeruere & divinæ Juſtitiæ reſpondere, atque a miſericordia & bonitate infinita non abhorrere monſtrarunt evidenter Viri præſtantiſſimi. Si ineffabilibus hiſce tormentis addatur quam uno quaſi oculo licet eodem ſaltem luſco e longinquo detegit ratio, excluſio perennis ab Unione perenni & fruitione entis ſummi, ſummeque amabilis, in qua conſummata animæ reſidet ſufficientia & felicitas, ultra ſpes omnes, deſideria & gaudia extenſa, habebitur adumbrata levi licet manu inferni imago, quam Tu ligato ſermone

more tuo prorſus egregie expreſſiſti Venerande HALLERE *) eademque ſuppeditata ſimul declaraſti liquido, ad phantaſmata & fabellas eum tibi neutiquam referri, neque in hoc ſeculo læſam conſcientiam inferni deæ ſufficere. Suam equidem naturali nexu ſecum fert pœnam crimen ſive in regali ſolio ſive in humili origuriolo commiſſum, intus acutos morſus inferente ejusdem reminiſcentia. Norunt vero ſeculi deliciæ artificioſe ipſos obtundere, mille illecebris ſenſus titillando, eosdemque a ſeriis conſiderationibus abducendo, dum interim breve curriculum vitale ſenſim ad ſuum finem devolvitur. An vero mors vitæ prægreſſæ naturalis ſequela clauſulam imponens nequitiæ, ipſius pœna ſufficiens habenda? cum illam optimi quique ex æquo experiantur. An nebulones poſt omnigenæ felicitatis mundanæ affluentiam fato cedentes, Virosque probos & integerrimos poſt triſtes ærumnas & calamitates exantlatas ex orbe abitum parantes, nil manet, niſi communis utrisque interitus? Nonne juſtitiæ divinæ hic neutiquam abſolutæ & conſummatæ ſed ſuſpenſæ manenti vim inferunt ita qui cenſent? Nonne gloriæ entis ſummi reſpondet & remuneratio publica, & publica pœnarum decretarum declaratio, Judiciumque extremum univerſale?

5. Acheronte feliciter ſuperato, comite audacia & protervia ad cœlum ſcandere nunc molitur Auctor noſter, Cæum alterum aut Morchum gigantæa ſuperbia referre geſtiens, ac abſurditates abſurditatibus quaſi montes montibus ſuperſtruens, exturbare Deum, atque de throno ſuo dejicere aggreditur miſer ho-

 mun-

*) in carmine vernaculo, vom Urſprunge des Uebels.

muncio, exilis nanus, humique verrens pulverem vermiculus. Non ergo adeo formidabilis hoſtis habebitur ſapientibus, qui & arma quibus dimicare confidit jam adverſo marte ab aliis adhibita totaque vetuſta rubigine exeſa ac friabili nimis materie conflata norunt, ut polita licet & exornata in aciem extendi renuant, & ad ictus mortales inferendos minus apta habeantur. Fortiora quod bona pace ejus dixerim habeo illa, quæ cauſam Dei tuiti geſtarunt Candidiſſimi & doctiſſimi Viri FENELON, NIEVWENTYT, ABADIE, DERHAM & alii, quibus vaſtiſſimum Naturæ regnum ingentem eorum apparatum ſuggeſſit, quo inſtructi non facile levis armaturæ militis habebuntur ulli, licet alto ſupercilio omnes negligendos deſpiciendosque velit Auctor. Stringentia eorum argumenta nemo niſi præjudicatis opinionibus occœcatus aut obiter attendens flocci facienda declarare valet, ſaltemque eſſe odioſas & verboſas repetitiones Atheiſmum firmantes magis quam evertentes, poterit aſſerere. Novi non omnibus etiam ad Atheiſmum minus pronis, quin etiam nonnullis ſumma virtute eidem obviam euntibus ipſa placere, aut ſatis validas haberi demonſtrationes exiſtentiæ Dei quæ a finibus rerum naturalium petuntur, quibus præcipue inhæſerunt optimi Viri modo collaudati. Licet vero non negem ſupereſſe alias his aut ſuperiores, aut pondus immenſum ipſis adjicientes callidiſſimis & omnem lapidem moventibus Atheis inſuperabiles; nollem tamen carere indicibili illa voluptate, quæ animum undique perfundit, quando ex ſapientiſſima totius Univerſi ſtructura omniumque rerum naturalium figura, mole, ordine, nexu, motu, fines determinatos conjicit; cur

tur hac præcipue neque alia ratione fuerint conditæ, ſimulque ex actione ad certos fines ſapientiſſimum Architectum, almumque Creatorem agnoſcit. Ferit certe & convincit plenarie ejus generis cogitatio eos quoque, qui ſublimioribus meditationibus non adſuevere, philoſophicisque diſciplinis addiſcendis nullam navarunt operam, ſanamque rationem eorum ita impellit & cogit, ut ejus ſolius miniſterio Deum dari agnoſcant, brutoque caſu ingentem Machinam mundanam, omniaque quæ in ſe complectitur coaluiſſe abſonum & abſurdum dictu habeant. Atque his quam maxime ſcripſit FENELON quem exiſtentiam Dei ex cognitione Naturæ demonſtraturum captui illorum qui intellectu arctioribus cancellis conſtricto, aut prorſus debili inſtruuntur, conſulere voluiſſe, frons ſtatim elegantiſſimi libelli inſpecta indicat. Non autem opinor illiteratis ſaltem relinquendus eſt, ſed invenient in eo Eruditi quæ meditentur ſerius, qui tamen ſi Phyſices & Medicinæ periti fuerint, eximia animi oblectatione occupabuntur in lectione eorum, quæ docte & eleganter conſignarunt NIEUWENTYT, ABBADIE & DERHAM multa certe exhibentes aſtutis adeo Atheis indigeſtibilia. Mihi quidem is qui globum noſtrum terraqueum, quem concatenatam ſeriem cauſarum & effectuum ad fines certos ſibi reſpondentes exquiſitiſſime adaptatorum contuemur, ſpontaneo atque fortuito atomorum confluxu, & cohæſione aliquando enatum ſibi & aliis perſuadere audet, infinities magis inſanire videtur, ac inſaniret is, qui Regium quoddam Palatium eurythmia incomporabili diſpoſitum, & exornatum ſine Architecto, vel qui colorum artificioſa miſcela & coor-

dinatione luciſque & umbræ alterna rectitudine conſpicuam imaginem ſine Pictore confluxiſſe ſtolidus aſſeveraret. Dum riſu & ſibilis exciperetur merito ſuo a ſana ratione præditis qui coiviſſe bona fortuna punctula & lineolas atque exinde obortum fuiſſe thema muſicum artis peritiſſimis auribus mulcendis aptiſſimum, vel qui cecidiſſe forte de cœlo litteras atque ex ipſis inter ſe miſtis Annales Ennii vel Homeri carmina quæ omnis poſt eum ætas mirata eſt ortum traxiſſe contenderet; an honore & cultu proſequendus eſt, an ſingularis ſapientia tribuenda illi, qui quicquid ſpatioſum & amœniſſimum Mundi adſpectabilis theatrum admirabile exhibet, elementorum ſeſe offendentium fortuito confluxu & nexu enatum blaterat. Nonne dum ſapientiſſimus Creator, depreſſa

pronaque cum ſpectent animalia cætera terras
os homini ſublime dedit, cœlumque tueri
juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus

Nonne inquam nobis toto corde aſſentientibus revocarentur in memoriam quæ eleganter ſcripſit Cicero *: *Quid poteſt eſſe tam apertum, tamque perſpicuum*, inquiens, *cum cœlum ſuſpeximus, cœleſtiaque contemplati ſumus, quam eſſe aliquod Numen præſtantiſſimæ mentis quo hæc regantur, de quo qui dubitet haud ſane intelligo cur non idem ſol ſit an nullus ſit dubitare poſſit*, & alio loco: *Quodſi in Scythiam aut in Britanniam ſphæram aliquis tulerit hanc, quam nuper familiaris noſter effecit Poſidonius cujus ſingulæ converſiones idem efficiunt in ſole & in luna & in quinque ſtellis errantibus quod efficitur in cœlo ſingulis diebus & noctibus:*

*) de Natura Deorum Lib. II.

us: quis in illa barbarie dubitet quin ea ſphæra ſit erfecta ratione? Hi autem dubitant de Mundo ex quo riuntur & fiunt omia caſune ipſe ſit effectus, an neeſſitate aliqua, an ratione ac mente divina: Et Archiedem arbitrantur plus valuiſſe in imitandis ſphæræ onverſionibus quam naturam in efficiendis. Quibus enſitatis nonne amiciſſima his obverſarentur animo uæ de Sideribus dicit Seneca *): *Non ſine aliquo Cuode tantum Opus ſtat, non certus eorum curſus foruiti eſt impetus, quando quæ caſus incitat ſæpe turantur & cito arietant. Non eſt materiæ errantis ic clariſſimorum luminum ordo, neque quæ temere oierunt tanta arte pendent.* Nullum certe vel ex iliſſimis offertur oculis noſtris artificium humana apientia profectum, quin ſtatim cum adſpectu illius onjungamus ideam neceſſariam alicujus artificis; jusque intellectum, & dexteritatem, quibus ad ceros uſus adaptatum eſt, ſimul nobis adſpicere videanur, atque magna illa opera quæ omnem inventioem artemque humanam longiſſime excedunt, nullum Conditorem ſupponere, ſuaque ſponte & injuſſa ex non entibus entia facta totiusque Naturæ Mechaniſmum nullo indiguiſſe Mechanico conceptu facile habebimus?

Nos vero præcipue Medici, quibus cum nobiliſſimo Naturæ opere res eſt, qui monſtrante vias ſubtiliſſima Anatome ad cognitionem intimiorem humani corporis admittimur, qui Machinam hanc millenis compoſitam attentius rimamur, qui in minutiſſimos & nudis oculis impenetrabiles receſſus ejus immer-

*) Cur bonis Viris mala fiant cap. 1.

gimur, qui ex ſtructura ſingularum partium intentos fines ſtructuræ, vel manibus palpamus, vel ſi curioſius injectionum microſcopiorumque adjumento exiliſſimum canaliculum, minutiſſimi vaſis oſculum, tenuiſſimum pilum, ſimpliciſſimam fibrillulam contemplemur, intentioni determinatæ reſpondere fabricam clariſſime animadvertimus; Nos inquam valere juſſo ſanæ rationis uſu ſtupidi & cognitionis noſtræ obliti perſuaderi nobis patiemur: nullum dari Deum? Id longiſſime a nobis abſit! venerabundo potius affectu minima ſcrutati de Conditoris exiſtentis magnitudine immenſa convincemur ejusque ſapientiam & bonitatem flexo poplite adorabimus. Plenus fiducia ſurrexit olim qui inter Mechanicos Medicos eminentem ſane locum obtinuit HOFFMANNVS, vixque digniorem dicendi materiem cum Munus Profeſſoris Halæ auſpicaretur ſeligi poſſe exiſtimavit, quam ſi contra Atheos declamaret, atque ex artificioſiſſima Machinæ noſtræ ſtructura pervicaciſſimos eorum convincendos eſſe oſtenderet, quod egregie præſtitiſſe ipſum deprehendent, qui elegantem illam Orationem inauguralem perluſtrare voluerint. Atque inter veteres Medicos jam GALENVS in libris ſuis *de uſu partium* hunc attendens in ſtuporem raptus eſt & cognitionem earum ad Deum ducere fateri debuit. Neque defuere recentiori potiſſimum ævo quo anatome olim rudis cultior reddita eſt Clariſſimi Phyſici & Medici qui unam corporis partem ſeligentes vel ſolam curatius inſpectam Dei exiſtentiam loqui laudabili opera commonſtrarunt. Merentur certe inter alios multos quos omnes excitaſſe jam meum non eſt legi quæ de oculo *Θεοσκοπῳ* STVRMIVS, de ſapientia Dei

Dei ex figura oculi THÜMMIGIVS, de aure Θεοδείκτῳ SCHMIDIVS, de Deo in ſenſuum externorum œconomia palpabili JENICHEN, de loquela hominis exiſtentiæ divinæ argumento FEVERLINVS, de demonſtratione Dei ex manu humana DONATVS, de Atheo ex ſtructura cerebri convincendo WVCHERER, de Deo ex inſpectione cordis HAMBERGERVS fuere commentati, ut de variis egregiis Schediaſmatibus Heiſterianis huc facientibus nil dicam. Equidem certum eſt multiplicia hæc ſcripta & numeroſiora alia in eo eſſe ſibi ſimilia, quod ex finibus ſtructuræ partium quarumvis, uſui certo accommodatarum dari ſapientiſſimum Conditorem demonſtrent, hasque omnes quaſi in linguas abire faciant, uno ore clamantes Deum, obturatisque auribus ejus exiſtentiam perpetuo inſuſurrantes. Non vero proinde dignum illis ſtatutum pretium ab Auctore noſtro crediderim quod cuncta nil contineant aliud, quam tædioſas repetitiones dictorum prius, cum una ejusmodi demonſtratio aut probet Deum aut omnes nil probent. Verum omnino, non opus eſt ut per latiſſimum univerſæ Naturæ campum exſpatiemur, cum ubicunque oculos aperueris Deum offendas quaſi incedentem obviam, non opus eſt ut huic intenti operæ totum corpus humanum a capite ad calcem perveſtigemus, ſufficit demonſtrationi abjectum oſſiculum, ſufficit unguis, ſufficit pilus, imo vero ſufficit huic omnium nobiliſſimo ſtudio ignobiliſſimum inſectum, ſufficeret unus ejus microſcopio luſtratus minutiſſimus pes ſuis muſculis movendus, ſufficeret unus ejus minutiſſimum punctulum vix æquans ocellulus, ſuis humoribus, ſuis tunicis inſtructus, ut alia exiliſſima quæ ſtu-

pendæ Swammerdammianæ & Reaumurianæ diligentiæ debentur ſilentio præteream. Sed utut demum multivariæ ejuſmodi deductiones in uno Deo tandem omnes concurrant quemadmodum circuli alicujus innumerabiles radii tandem deſinunt in uno centro, otioſas tamen eas habebit nemo cordatus, ſed potius eo magis ignominioſas Atheis, cæcutire in aperta luce præfracte volentibus, neque ex numero infinitis viis eligere velle unam qua æque certo ac reliquis omnibus Natura ad ſuum Auctorem ducit.

Multo majori certe & æquiſſimo jure omnia illa quæ poſt futilia prorſus & omni probatione deſtituta, aliquo probabilitatis fuco obducta profert Auctor, cum iis qui ejuſdem ac ipſe ſunt farinæ, pro odioſis, tædioſis & recoctis repetitionibus peſtilentiſſimarum aſſertionum Maledicti Spinoſæ habebuntur, quem cum omnibus aſſeclis contumacem fines rerum naturalium conſilio intentos negare conſtat, in qua quidem re omnem cardinem verti noſtro quoque Auctori, libelli inſpectio plenius docet; quam inique, ſtatim videbimus. Norunt vero ſatis rerum intelligentes omnem illam execrabilem & virulentam doctrinam qua animos hominum leves ſibique placentes, turgidos ſublimioremque ſapientiam ſpirantes infecit & faſcinavit Spinoſa, ex Paganorum vetuſtis traditionibus *de fato* Stoicorumque huic ſuperſtructis dogmatibus, qui Mundum æternum ſtatuebant, tanquam ex fonte profluxiſſe. Stoici nimirum fatum habebant connexam rerum naturalium æterna & indiſpenſabili neceſſitate ſe invicem ſubſequentium ſeriem, Deum autem ens cum Natura intime miſtum ſeu partem immenſi hujus Univerſi per omnia penetrantem; adeoque

ue non minus fato implexam & neceſſitati immuta-
ili ſubjectam, cauſarumque ſtabilitum ordinem im-
nutare haud valentem. Hæc miſerrima principia
ecentiori ævo infeliciter arripuit Spinoſa, eademque
ere & vix Stoicis mitiora docens, Deo ipſi omnem
ibertatem in actionibus ademit, præterquam quod
xternis cauſis cogi nequeat cum ex ſolis ſuæ Naturæ
egibus agat, eumque ſeriei cauſarum neceſſariarum
lligatum pro una cum ipſis ſubſtantia venditavit. Ne-
ue aſſerere fuit veritus, in rerum natura nullum dari
ontingens niſi per defectum noſtræ ſcientiæ, resque
aturales omnes nullo alio ordine potuiſſe produci
uam productæ ſunt. Quid ergo mirum quando
um ſequacibus unum ens ab alio tanquam effectum
ſua cauſa abſolute neceſſaria & infinita ſerie profici-
ci ſtatuit, quod in fatali hac & immutabili actione
auſarum acquieſcendum urgeat, & nullum effectum
inem quendam intentum & impetratum involvere
nculcet. Ex uno nempe abſurdo errore ſemel ad-
miſſo fœcundiſſima generatione aliorum excluditur
ullities, Deoque ſemel cum mundo implexo & con-
fuſo, ac ſeriei concatenatæ alligato, proque inſito Na-
turæ motore habito, neque pro ſubſtantia extra ipſam
exiſtente agnito tota Natura omnino abire debuit in
ſyſtema ex meris cauſis neceſſariis & effectubus neceſ-
ſariis compoſitum, neque potuit Deus haberi ens li-
berum cauſas ſuo relictas arbitrio in media, effectus-
que a cauſis oriundas in fines abire jubens. Atque
qui cum Spinoſa a Macrocoſmo Deum non ſeparat,
ſed ex Stoicorum doctrina tanquam Animam Mundi
conſiderat, facillimo & recto tramite eo cito deveniet
ut & cum noſtro Auctore a Microcoſmo Animam non
ſejun-

ſejunctam habeat, ſed ejus indolem corpori implexam, corpoream, & materialem ſibi fingat. Utut autem apud eos præcipue, quibus votorum ſumma eſt, ut abeſſet Deus, maximam inierit gratiam Spinoſa, quod mathematica methodo ſcripſiſſe ipſum atque ex poſitis principiis certis, nexu & ordine concinno ſuas demonſtrationes deduxiſſe, gloriari queant, quæ proinde extra dubitationem collocatæ inveniantur: dudum tamen perſpexerunt Viri in Matheſi verſatiſſimi externo ſaltem habitu mathematicum ordinem referre ejus dogmata, cum ipſe non ſupponat principia per experientiam evicta, & propoſitiones his reſpondentes fundamentum demonſtrationum ſtabiliat, ſed conceptus abſtractos & arbitrarios, & non niſi in ſuo cerebello exiſtentes tanquam rebus ipſis inhærentes & eſſentiales baſin ſui ſyſtematis ſaltem conſtituat, quod eapropter non niſi imaginarium haberi poteſt. Non habent ergo ejus Sectatores quos inter non ultimo loco ponendus Auctor noſter, dum metaphyſica omnia etiam ſolide deducta perperam faſtidiunt, & repudiant, quod demonſtrationes a poſteriori tantopere urgeant & nonniſi experimentis & experientiis convinci velint, nil admiſſuri niſi quod ex his prona ſequela legitime deducitur, id enim ab ipſo Coryphæo cujus veſtigia legunt deſiderandum ipſis erit. Peſſime deinde abeſſe volunt ex Phyſicorum doctrinis finium commemorationem, cauſas efficientes, effectus inde productos, fiendi modos, motuum determinationem ſpectare ad eas; finium vero quos caſus ignoret, qui in natura non dentur, allegationem, nil explicare rati: cum tamen hodie Teleologiam amiciſſimo nexu jungi cum Philoſophia naturali evictum & indubium habeatur.

ur. Et hoc ipſum maxime Medicis corpus huma-
ium perluſtrantibus obvium, qui ſtructuram partium
notumque ſanguinis & humorum per illas inveſtigan-
es ex uſu & finibus, functionis indolem & ſtructuræ
ationem diſcunt, ac eapropter Anatomen & Phyſio-
ogiam inſolubili amicitia conjunctam experiuntur.
Millena inveniri in humana Machina hujus rei argu-
nenta palam ajo, ſed miſſis omnibus fœtum contem-
plemur unum, ergaſtulo materno adhuc incluſum!
Videte o boni, ſed videte & vos qui in aprica luce
videre renuitis, & miremini mecum, cor & pulmo-
nes, viſcerumque horum vitalium in fabrica differen-
ias, ab eorum, qui propriam vivunt vitam. Quid
ibi vult foramen ovale, quid Botalli canalis arterio-
ſus? abſolute pro ſua ſalute indigebat iis fœtus, quibus
ſimulac in lucem editus fuerit ſecurus carebit. Cur
vero non abſunt a fœtu pulmones qui vitæ nil ſer-
viunt fruſtranei, pigri, & otiantes? tempus expectant
idoneum ſero uſu compenſaturi ferias eoque momen-
to incepturi agere quo quies mortifera futura erat
homuncioni. Taceo arterias venasque umbilicales &
alia! An autem licet hic negare temere, præviſos diu
uſus futuros? nonne fines olim obtinendi indubio
ſtructuræ teſtimonio, ſapienter præmeditati incur-
runt in oculos? Multoties vero niſi finis & uſus cui
ſerviunt res naturales antea perſpectus fuiſſet, aut
ſimul quando de earum cauſis deque earum fabrica
certi reddimur, nobis innoteſceret, acutiſſimus intel-
lectus ad eum detegendum haud ſufficeret, aut longe
ignobiliorem ſibi fingeret, cum vero illæ nihilominus
omnes finibus & uſibus ſuis quos nemo prudens ne-
gare poteſt, inſerviant, evidenter ſatis conſtat intel-
lectum

lectum humano longe ſuperiorem exiſtere, a quo & cauſarum & effectuum ordo, mediorumque & finium ſeries ſemet inſequentium pendeat; cujus ſapientiæ ſoli adſcribendum quod omnes partes Univerſi conſpirent amiciſſime ad conſervationem totius, nexuque elegantiſſimo hominum felicitatem promoveant. Nil ergo juvat præfracte aſſerere, effectus immutabili neceſſitate fluere ex cauſis, quod facile conceſſerim; ſed inquiſiviſſe quoque intereſt, cur fluant. Cur demum oſſeæ concamerationes aurem humanam efformantes quæ formatæ eſſe alia quacunque ratione poterant, in millenis hominibus eadem tamen ratione formatæ, nullum alium effectum producant præterquam auditum? Quis eſt ille ex omni hominum genere quod Orbem habitatum incolit, qui artem ſummam deeſſe huic Organo affirmet? qui ſuffeciſſe coëuntem intelligentiam perſpicaciſſimorum hominum ad ejus inventionem & directionem ad unum illum vel effectum, vel finem nobiliſſimum, turgidus & audax contendat? an artificioſiſſima talis & ad ſummum complementum eousque evecta partis ſtructura, cui nil demas, cui nil poſſis addere, ſana ratione poterit concipi, ſine deliberatione prævia, & libera electione, quam ab hominum artificiis abeſſe poſſe nemo prudens cogitat? Cum nunc illa deliberatio & electio omni humanæ infinities ſit eminentior, atque organi auditus productio cognitionem humanam longe inferiorem antecedat, imo vero longiſſime ſuperet, quoniam ad hunc diem rationem ſufficientem quoad ejus minutiſſima nondum introſpicimus, quis niſi in rudibus contradictionibus voluptatem ponens non largiri tenebitur, cum electione & voluntate liberri-

errima connecti debuiſſe intentionem alicujus finis, tque hunc finem adeo nobilem non potuiſſe obtineri iſi cum liberrima voluntate ſimul junctus fuiſſet ſum-mus & humanum longiſſime ſuperans intellectus. Qui horum ſobria conſideratione non reſipiſcit atque xinde dari ens ſummum liberrimum, intelligentisſi-num non concludit convictus, is in erroribus ſibi lacens nolle convinci monſtrat, vixque meretur ob-ſtinatus, ut pretioſum tempus atque oleum & opera iſputatione perdatur.

Age vero aliam tamen adhuc eandemque ſublimio-em eligamus viam, quæ ad Dei neceſſariam exiſten-iam recta deducit etiam ſumme refractarios, quam-que demonſtratam validisſimis argumentis dederunt Viri ævi noſtri ſummi, *mundi* nimirum adſpectabilis *ontingentiam, æternitatisque ejus impoſſibilitatem* bre-ibus contemplemur. Neceſſarium ipſis conſentien-ibus Adverſariis dicitur id, quod aliud eſſe nequit, uam eſt, quod eſt a ſe & prorſus immutabile, cujus-ue oppoſitum eſt imposſibile: ergo contingens erit llud, cujus variatio & mutatio eſt posſibilis. His oſitis nemo probaturus eſt unquam omne hoc uni-erſum ſi mechanicam ejus ſtructuram, partiumque mnium ex quibus componitur ſitum, nexum, ordi-em, diſpoſitionem, molem, motum, ſpectaveris, ita eſe habere, ut totum ſeſe non aliter habere potuiſſet, deoque patet ipſum omnem fatalem neceſſitatem uæ exiſtentiæ excludere. Vix hoc inani verborum trepitu negare ſuſtinebit Atheorum impudentiſſi-nus; ſi vero eo audaciæ proceſſerit en conſideret ttentus Mundi Syſtemata diverſa Ptolemaicum, Ty-honicum, Copernicanum. Verum eſt ad certitudi-

nem

nem Mathematicam ſuum perduxiſſe COPERNICVM, PTOLEMAEO faviſſe ſenſus & opinionem, TYCHONEM media incedentem via & inter terram & ſolem dividentem imperium veritatem non fuiſſe aſſecutum. Interim tamen & Ptolemaicum & Tychonicum multaque alia fuiſſe poſſibilia, non negari poteſt, atque ſatis opinor hodie evictum eſt plures quam unum mundum eſſe poſſibiles. Jam Mundus noſter contingens exiſtit; id quod exiſtit debet habere principium rationis ſufficientis cur exiſtat, hoc principium vel eſt in mundo vel extra illum; ſi eſt in mundo, mundus eſſet ens neceſſarium, ſed per demonſtrata Mundus eſt ens contingens, ergo habet rationem exiſtentiæ in ente alio eodemque a ſe & neceſſario, quod dari oportet, nam quousque procedas & quam mire te torqueas aut debes tandem acquieſcere in ente a ſe, aut non intelligis vim principii rationis ſufficientis, quod progreſſum in infinitum excludit, in quo ſemper deſideraretur ratio ſufficiens. Patet ergo eſſe ens a ſe atque tale ens ſimul eſſe neceſſarium, idemque non eſſe Mundum, ſed ens ab eo diverſisſimum, & extra eum exiſtens.

Vis demonſtrationem aliam: eamque præcedentem ſtringentiorem reddentem? en ſuppeditabo ſequentem: Mundus eſt ens compoſitum: in naturali ſerie cauſarum & effectuum ex qua coaleſcit Mundus, quo magis retrogrediaris eo magis cauſæ redduntur ſuis effectibus ſimpliciores, donec perveniatur ad naturales ſimplicisſimas, ſive ad elementa. Jam ſi velles aſſerere elementa Mundi eſſe ejus cauſam primam, deberent eſſe entia a ſe & neceſſaria, verum quia ſunt implexa ſuis effectibus, ipſique Mundo, cum eodem

ſunt

ſunt contingentia: alius quippe mundus poſſibilis poneret alia elementa, nam diverſitas compoſiti ponit diverſitatem ſimplicis: cum itaque & alia elementa ſint poſſibilia, elementa præſentis mundi ſunt contingentia. Quia igitur ſunt contingentia atque ſimul viribus in agendo circumſcriptis & limitatis gaudent ſunt omnino effectus, eaque propter ponunt cauſam ſe priorem, & extra Mundum, nam in mundo ultra elementa retrogredi haud licet. Cauſa vero hæc debet eſſe a ſe & abſolute neceſſaria, nam ſi non eſſet a ſe & neceſſaria non poſſet eſſe prima.

Sed & æternitatis notio eidem demonſtrationi ſervit: Quod non eſt neceſſarium ſed contingens non eſt æternum, nam poteſt adeſſe & abfuiſſe; quod non eſt æternum habet principium, quod habet principium quia non exiſtebat antea & exiſtere incipit eſt effectus, quod eſt effectus ſupponit cauſam, ergo mundus omnis non æternus eſt effectus & ſupponit cauſam. Dico vero Mundum non æternum ſupponere cauſam æternam; Pone enim hanc cauſam non eſſe æternam, illa aliquando debuit non exſtitiſſe, ſi non exſtitit aliquando, tunc etiam non exſtitere ejus effectus, itaque aliquando nil prorſus exſtitit. Si vero aliquando nil exſtitit impoſſibile eſt ut aliquid exiſtere cœperit, nam ubi nihil ibi nulla cauſa, ubi nulla cauſa nullus exiſtere incipit effectus. Si dicas cauſam primam ſe ipſam potuiſſe producere tibi ipſi contradicis, nam ſimul hæc cauſa debuiſſet eſſe & non eſſe quod eſt abſurdum. Patet ergo cauſam primam mundi non æterni eſſe æternam. Vellem ut Auctor coram eloqueretur quid habeat quæ ad hæc omnia rependat, adeo clara & perſpicua, & aſſenſum fere extorquentia.

H Haud

Haud patitur inſtitutum meum, ut hiſce meditationibus arduis licet & trutinatu digniſſimis diutius immorer. Mihi quidem ad Dei exiſtentiam eamque quod præcipuum extra Mundum evincendam, quæ diſſerui, creduntur omnino ſufficere, cum una ſuppeditatarum demonſtrationum valorem alterius adaugeat, ſi in hac vel illa jure is deſideraretur. Atque ſi per meam tenuitatem aliquid involverent quod in dubium vocare valeret acutus & in technis ſtruendis exercitatus Sophiſta, ſpinoſiſſimis ipſius oblocutionibus ſuffecturos ſcio graviſſimos Auctores, qui data opera princeps hoc quod Mortalium ſtudia depoſcit argumentum ultra omnes objectiones evehere anniſi ſunt. At ſi nihilominus aliquis oſor Dei in eum proh dolor injurius a quo ſolo quibus ingratus abutitur, animi vires mutuatur, ſordere ſibi ea quæ a ſuis principiis abhorrent, profeſſus, tenebras, difficultates, contradictiones, in rebus divinis inſuperabiles queratur, ſolutosque velit nodos inexplicabiles, in quibus nectendis & implicandis ipſe famam & gloriam ponit, is amabo doceat an rationi repugnet exiſtens Deus, annon potius eo ut pro rerum omnium ita demonſtrationum principio admiſſo multa explicare liceat, quæ ſine eo intricata, obſcura, & inſolubilia futura erant: is perpendat an fictis & in ſolo cerebro Atheorum natis conceptubus admiſſis melius conſulatur intellectui humano; an melius tunc agatur cum rebus mortalium; an clariori luce radient ea quæ precario ſuppoſita caliginoſo ſuo quo paſſim utitur ſcriptionis genere Eruditis obtrudere auſus eſt Spinoſa, ex quibus aſſeclis ipſius fidiſſimis & callidiſſimis diſtinctas, intelligibiles, & evidentes propoſitiones elice-

elicere, & coordinare foret difficillimum. Non credo obiter habendus eſt univerſalis ille ab omni ævo gentium vel maxime barbararum & ab intellectus cultura alienisſimarum conſenſus de exiſtentia entis alicujus ſummi, a quo omnium rerum origo & duratio. Neque improbo & profano labore internum illum divinitatis ſenſum animo altius inhærentem, qui oppreſſus & obtuſus, toties denuo reviviſcit eradicare & evellere licet Mortalium ſceleratisſimo. Detur vero nihilominus Praxi vitæ diſſolutæ & effrænatæ in deliciis habitæ, Theoriam congruam, elegantiorum litterarum modernarum, verius dicam raptim perluſtratarum ſcientiarum & hiulcorum ſtudiorum ope, adaptare laborantium Atheorum numerus, illuſtribus ſubinde exemplis & accesſionibus ſpecioſior & per ſeculi calamitatem indies ditior; quid tamen ad innumerum cordatorum eruditisſimorumque hominum Deo honores per totum orbem ore & ſcriptis aſſerentium exercitum, ille amentium manipulus!

Laterem lavabunt omnes Athei, ſi vel conjurati coëant, cumulatisque viribus infringere & peſſundare conentur ea, quæ non invertendis fundamentis ſuperſtruxere FENELON, NIEVWENTYT, ABBADIE & DERHAM. qui proinde adeo temnendi haud videntur, ac quidem opinatur Auctor. Si FENELON ſtudio facili methodo uſus eſt, ſublimiora dederunt reliqui liberque quem de Veritate religionis elucubravit ABBADIE magno judicio conſcriptus eſt, ſeverisque ratiociniis plenus, multaque eximia complectitur confutanda nunquam, nec a finibus rerum deſumpta. Si vero hi præſtantisſimi Viri non ſuffici-

ant Auctori diluat ſi valet illa quæ dedere CLERICVS *de incredulitate*, CLARCKE *de exiſtentia & attributis Dei*, HALE *de Origine Mundi*, JAQVELOT diſſertationibus *de exiſtentia Dei*. Aggrediatur oppugnare illas orationes ſacras quæ per legatum Illuſtr. ROBERTI BOYLE quotannis Londini in templo habitæ ſunt contra Atheos & incredulos, quarum catalogus habetur in principio Opuſculorum Derhami in vernaculam verſorum. Ex omnibus commendaſſe ipſi ſuffecerit qui primus hanc provinciam ſubiit BENTLEII inſignem *de irrationabilitate & ſtultitia Atheiſmi* tractatum legendum & relegendum. Sed de his ſatis!

6. Progredior jam cum Auctore ad Originem hominum, quos per ſuæ exiſtentiæ rationem caſu natos, & inſtar fungorum forte e terra luxuriante protruſos comminiſcitur, puerorum & ſemirationalium hominum ſuffragia vix obtenturus, nedum ſana ratione utentium, qui deliramenta hæc non aliunde profecta, niſi a mente capto, aut cui fungus pro cerebro ſit, hariolari poterunt, Literatoque tanto indigniora habebunt. Sobrius & prudentius de Ortu generis humani qui ſpiſſis ignorantiæ noctibus immerſi erant nihilominus ipſi gentiles philoſophati ſunt, per denſas tenebras quæ ipſorum offundebantur oculis ſolem quaquaverſum radios evibrantem non agnoſcere nequeuntes. Hos inter poſtquam de brutis creatis verba fecerat OVIDIVS eleganter pergit:

Sanctius his Animal mentisque capacius altæ
Deerat adhuc & quod dominari in cætera poſſet
Natus homo eſt, ſive hunc divino ſemine fecit
Ille opifex rerum mundi melioris origo

Sive

Sive recens tellus, ſeductaque nuper ab alto
Æthere cognati retinebant ſemina cœli
Quam ſatus Japeto miſſum fluvialibus undis
Finxit in effigiem moderantum cuncta Deorum.

Cumque dein immiſſo diluvio totoque Orbe inundato, aquis deleti periiſſent mortales, uno Deucalione & una Pyorta ſuperſtitibus, hos cœcutiens ſuperſtitio ſaltem communes humani generis parentes ſibi finxit; atque licet fabulas oleat quando Themidos oraculum mœſtis dixiſſe fertur:

diſcedite templo
Et velate caput, cinctasque reſolvite veſtes
Oſſaque poſt tergum magnæ jactate parentis

deque ipſis obedientibus nemo hodie crediderit

Dum juſſos lapides ſua poſt veſtigia mittunt
Ecce brevi ſpatio ſuperorum munere ſaxa
Miſſa Viri manibus faciem traxere virilem
Et de fœmineo reparata eſt fœmina jactu.

tamen ex his omnibus liquet, & a ſacris purioribus alienos fingere ſibi non auſos eſſe homines ſine Deo, ſineque Protoplaſtis. Atque miſſa omni revelatione ex qua argumenta contra Atheos depromere abſonum foret, ratio ſibi relicta ſola comprehendit, quousque retrorſum eatur neceſſario debuiſſe exiſtere primum marem & primam fœminam; id credo neminem modi propagationis hominum gnarum in dubium vocaturum (quem in deliciis habere videtur Auctor Naturalium Amator, divinam in eo voluptatem ſibi perſenſiſſe viſus) *) nam hanc propagationem in

*) pag. 96. dicit: une goute de la liqueur qui ſe lance dans l'accouplement fait reſſentir des plaiſirs divins.

infinitum velle extendere abſurdum foret. Horum autem primorum hominum corpora fuere organica, ut noſtra omnium: quis vero ſine ſtupidæ ſimplicitatis nota ſibi perſuaderi pateretur ex argilla formatam ollam utut rudi admodum minerva, temere ſineque concurſu figuli, ſaltem ſolius argillæ ſponte aſſurgentis ſeſeque excavantis ope coaluiſſe. Atque noſtrum corpus organicum quod non minus ex limo terræ loquentibus hoc ſacris paginis non tantum, ſed probante Chemia, totum compoſitum eſt; at artificioſiſſime ex vaſculorum minutiſſimorum glomeribus, caſu ita excavatum fabrefactumque ſanæ rationi vim inferentes opinabimur? Non facile eo dementiæ pervenient ſagaces! interim hi attendentes ſedulo quantis viciſſitudinibus non obſtante ſtructuræ elegantia obnoxiā ſint humana corpora, quando ipſum vivere nil aliud eſt quam perpetuo mutari, convincuntur abunde quam homines ſimus entia contingentia. Atque vel obiter animadvertentes pallida mors æquo pulſans pede pauperum tabernas, Regumque turres, unumque poſt alterum ponere perſonam juſſum, ab hoc Mundi theatro avocans, cito ſæpe ab incuria poſteritate oblivioni tradendum ea de re quotidie monet. Neque nobis nobiliores hoc reſpectu extitere majores noſtri, quibus cum diu deſierint æque finita fuit exiſtentia: poterimusne vero ſerio illis ipſis tribuere propriam ſuam originem? aut circumſpicientes & quærentes anxie cauſam formatricem ullam invenire in toto terrarum orbe? An corpora hominum elementaria ſe ſuis elementis deberi ſtatuemus, quæ terreſtria ſunt & aliis rebus corporeis communia, imo vero cum iis omnibus quæ Mundum conſti-

tuunt

tuunt contingentia. An protoplaſtos qui non minus ac nos principatum inter omnes res viſibiles tenuere, intellectuque & voluntatis arbitrio fuere conſpicui, cauſa ſe ipſis longe ignobiliori oriundos cogitabimus? Num quando præter homines nil humanis dotibus pollens in tota natura deprehendimus, cauſam qualemcunque admittentes, eam potuiſſe communicare effectui ſuo facultates credemus, quas non poſſidebat ipſa? Vix puto Sapientis eſſe ita ſtatuere! Nil ergo ſupereſt, niſi ens ſummum a mundo alienum, a ſe exiſtens, neceſſarium & infinitum, quod condidiſſe primos homines etiam relicta ſibi ratio ſana perſpicit & defendit, cujusque negationem temerariam non poteſt non horrere, & abſonam habere.

Miror valde Auctorem omni opera prohibere ne altius adſcendamus, nimisque ſolliciti ſimus de Originibus rerum, atque proinde conſulere ne quis procedat in infinitum, cum tamen ab hac radice omnis Atheiſmus pendeat, qui exciſa ea, funditus ſtatim exſtirpatur, quando nimirum illud rationi contrarians unicum aſylum, ſive progreſſus ab infinito ſive retrogreſſus in infinitum corruit. Non negari poteſt nobis nullas naſci veras infiniti ideas, nam cum intellectus noſter ſit admodum finitus, ſuosque arctiores habeat terminos, quibus circumſcribitur, extra hos progredi, eaque capere & contueri quæ terminum & fines ignorant, omnino haud licet. Interim tamen ideas finiti & infiniti cum ideis contingentis & neceſſarii connexas eſſe, certum eſt. Contingens quippe quia eſt effectus requirit cauſam, eamque ob rem habet initium, ideoque etiam debet poſſe finiri, aut eſſe finitum, cum ejus duratio pendeat a duratione cauſæ;

 neceſ-

neceſſarium vero eſt cauſa prima ſine cauſa, adeoque cum a ſe ſubſiſtat, ſine principio & ſine fine, eſt ſimul infinitum. Jam vero licet poſitiva idea infiniti in nos non cadat, atque conceptu ſit impoſſibilis, non tamen abſolute dici poſſe arbitror, ejus plane dari nullam. Multa certe eademque ſatis obvia & longe ignobiliora noſter intellectus remotive ſibi concipit, habenturque adeo ideæ negantes, quæ patentibus noſtræ cognitioni poſitivis ſunt oppoſitæ, quibus tamen omnibus poſthabitis & valere juſſis, adhuc longe anguſtioribus limitibus ſcire noſtrum & imaginari conſtringeretur. Facit nempe ens poſitive nobis cognitum, ut licet de ente ei oppoſito nil poſitivi audeamus aſſerere, neſciamusque de hoc id quod ſit, tamen ſcire nobis liceat id quod non ſit. Neque quanquam ſubinde eſſentiam rerum non capiamus, eapropter impedit defectus limitatæ noſtræ cognitionis, quo minus hoc non obſtante res illæ tamen exiſtant, atque falleremur vehementer, ſi de omnium exiſtentia dubitandum nobis videretur, quorum poſitivæ ideæ nobis haud excitantur. Finitum contuentes poſitivum quid concipimus, ejusque eſſentiam contuentes cauſas eſſentiæ ſæpe aſſequimur; at infinitum licet eſſentia ejus nobis non pateat, eo quod cauſam non agnoſcit, in ſe tamen non ceſſat eſſe poſitivum. Quando nunc de finito recte dicimus quod gaudeat principio, fine, partibus, mole, ſucceſſione, quodque ejus actio circumſcripta ſit ſuis limitibus, de infinito quoque rectiſſime affirmabimus, quod principium, finem, limites, magnitudinem, ſucceſſionem, neutiquam involvat, & quod exinde ſequitur quod ſit neceſſarium, a ſe exiſtens, æternum, & unum, duo namque infinita ſibi

ſibi contradicunt. Verum cum omnis Natura plena ſit rebus finitis & contingentibus, hæque ceu effectus vere exiſtentes a ſe eſſe nequeant, neque ab aliis rebus finitis ortus earum dextre explicetur, tamen ſine cauſa non exiſtant, eam infinitam eſſe oportet.

7. Hæc autem omnia & longe plura, a Viris in ſublimioribus hiſce doctrinis exercitatiſſimis, atque diſputare cum incredulis verſipellibus, & aſtutis, adſuetis ſtabilita, forte non ferire gloriatur Auctor immota & loricata Atheorum pectora, ferreasque aut ſi mavis impudentes frontes. Quin vanum eſſe ait, quando narratur raro ipſos Atheos mori Atheos, ſed ægros & morti proximos contriſtari, reſipiſcere, & pœnitentia duci; cum potius ſi ejusmodi lapſus in graves adeo Viros cadat, id morbo debeatur, quo ſuperato ſtatim eos priſtina amplecti principia, conſtet. De Spinoſa qui (ut ex epiſtola quadam ejus patet, quam citat Nieuwentyt) ingenue faſſus eſt, ſe non intelligere ſcripturam ſacram, atque principia ſua ex ratione ſola deducta, quodſi etiam olim falſa deprehenderentur, tamen eapropter amare & retinere firmiter, quod ſecundum ea vitam non inter lachrymas & ejulatus, ſed tranquillam & hilarem tranſigat; de Spinoſa inquam fidæ relationes teſtantur, quod mortem conſtanter & infracto animo ſervata ſua infeliciſſima hypotheſi obierit. Cavit tamen etiam ſollicite æger & pereundum ſibi eſſe ſciens, ne turbaretur; namque neminem admittere voluit cum quo de ſuæ doctrinæ certitudine deque ſtatu hominis poſt mortem colloqueretur, atque ſic quietus & tranquillus ſineque ullis anxietatis aut puſillanimitatis notis exſpiravit. An eadem magnitudine animi ſupplicio ſuo quod ob impia dogmata ſubire debuit, obviam

inceſſerit rogumque conſcenderit Vanninus, inquirere nil attinet. Id ſaltem conſtat, multos numero Atheos appropinquantes ad vitæ terminum ſuos errores fuiſſe deteſtatos, & ſeram inter angores & gemitus ceciniſſe palinodiam; pauciores ſub ipſum ingreſſum ex hoc Orbe pœnitentes ſaniorem viam fuiſſe ingreſſos, plures ſecum actum eſſe ratos horribili ſpectaculo deſperatione & terrore comitibus fatis ceſſiſſe, aliquos ſibi ipſis violentas intuliſſe manus; ut adeo evthanaſiam olim experiri aventibus ea ars ex exemplis moribundorum Atheorum addiſcenda non ſit. Quousque affluens præſto eſt vitæ mortalis uſuram dulcem & amabilem reddentium bonorum proventus, corpusque athletice valens dolores, anxietates, virium penuriam ignorat, omnesque functiones ad ſanitatem ſpectantes ſine ullo incommodo facile ſuccedunt, Deo proh dolor lubentes carere ſe poſſe ſibi videntur non pauci, quos inter & Auctor; animusque voluptatibus, riſubus, & jocis delectatus, nil aliud in votis habet quam viridem ſemper ætatem & gaudiorum perennitatem. At iniqua ſorte preſſo, ſtipem petenti, rei familiaris anguſtiam experienti, juſtum & æquum ſibi negatum gratis anhelanti, ſuorum funera lugenti, debilem & ſenſibilem corporis compagem ſortito, vitæque ærumnoſæ curriculum concatenatis morborum viciſſitudinibus emetienti, niſi Deus ſit ſolatio quid tandem ſupereſt? Et o miſerum hominem qui diuturnis languoribus excarnificandus, qui gliſcente igne comburendus, qui dolorum furiis torquendus, qui anxietatibus præfocantibus per vices ad tumulum adducendus lento nimis pede exoptatam toties adrepere mortem dolet, millies tamen ſibi moriendum

iendum queſtus; niſi divino fidens auxilio tot malis ferendis & ſuperandis idoneus reddatur, quando nil amplius habet mundus univerſus quo placeret, quo dejectum animum recrearet, quo tædia ſuperſtitis vitæ deliniret. Et ad extremam hanc metam, ad tremendum hoc iter deductis, ſi citius centenas occaſiones id experiundi neglexeris, tandem maxime innoteſcit, num perinde ſit, deturne religio an minus; quod Medici clinici familiaritatem perpetuam cum agonizantibus alentes ſæpe ſæpius animadvertunt. Dari vero religionem nullam etiamſi exiſtat Deus, hancque veritatem ſi detur, ſaltem theoreticam futuram, & ad Praxin vitæ neutiquam ſpectare quod Auctor imprudenter blaterat, adeo abſurdum dictu eſt ut abſurdius quid vix audias. Quis Civis non obſtringeretur ſummo Imperanti? quis ſervus nil curaret dominum? quis filius non amore proſequeretur Parentem? quis cliens non revereretur Benefactorem? Quis ſubditus obedientiam negaret Legislatori? quis reus non ſupplex accederet ad Judicem? quis homo non adoraret Creatorem? Anne inter omnes ſuperiores & inferiores indiſſolubilis datur relatio? horumque erga illos obligatio naturalis? ſique nexum eundem inter Deum & temet conſideraveris, animadvertes ultro tibi incumbentem cultum, exiſtentiamque religionis Naturalis intus in præcordiis tuis ſenties. Et quid tandem in ſe habet religio quod odium, nauſeam, riſum, ſibilos, contemptum movere poteſt protervis ejus obtrectatoribus & cavillatoribus? an anilibus & puerilibus narratiunculis atque cerebrinis fabellis ipſius ſyſtema ſuperſtructum viſitur? an ab hominibus mente captis, intellectu egenis,

egenis, ſemidoctis ſaltem colitur? Nonne ab omni ævo inculcata fuit ejus præſtantia, veritas, neceſſitas ab hominibus quos jurati religionis hoſtes ipſi agnoſcere tenentur Viros in omni ſcientiarum genere perſpicaciſſimos. Nonne millies ab his evictum eſt, nil ineſſe ipſius dogmatibus quod ſanæ rationi repugnet, imo vero & rationem & revelationem amiciſſimo fœdere invicem jungi, utpote uno fonte oriundas. An tremula manu ſaltem, & non ſine aliqua diffidentia offerri poſſunt Atheorum & irreligioſorum doctisſimis ſcripta Promachorum religionis ævi noſtri REINBECKII, MOSHEMII, SACKII, CANTZII, AHLWARDTI aliorumque? an metus eſt ne erubeſcendum nobis ſit, quando hos contradictoria poſuiſſe, cauſæque Dei inepte patrocinatos fuiſſe Adverſarii demonſtraverint? Bono ſimus animo, nil veritati detrahet vaferrima & artificioſisſima nequitia, & ſi hæc ex hoc ſolo capite præſtantisſima opera indigna lectu habuerit, quod a Theologis proficiſcantur: alacres inſtemus & urgeamus ut non dedignentur attentius pervolvere quæ de veritate religionis vel ſolus conſignavit ipſam ultra omnem dubitationem collocans HVGO GROTIVS. Atque quam vellem! ſcopum quem ſibi præfixerat ex voto attigiſſet acutiſſimus PASCAL, opusque quod meditabatur abſolviſſet totum, quod ob adverſam valetudinem morte præmatura abreptus in ſchedis imperfectum & nondum in ſuum ordinem digeſtum reliquit, quam innocenti animi elatione his unius armis induti obviam incederemus formidoloſo videri volenti Atheorum & Naturaliſtarum agmini! Sed feramus patienter velox & præcox fatum Paſcalianum. Jactum eſt

a de-

deſideratiſſimo Viro duraturum in æternum funda-
ıentum cui innitatur veritas; collecta fuit ipſi ex-
uiſitiſſima ad ædificandum materies, præſto ſunt ſo-
di lapides, compacti lateres, ſciſſæ jacent columnæ,
ives adeſt aliorſum etiam abire juſſo futuro archi-
ecto omnis generis ſuppellex, ex quo ſtruatur tem-
lum Religioni ſacrum ſymmetriæ & eurythmiæ lau-
e conſpicuum futurum, ætatem laturum, fulguribus
x pelvi, procelloſis verborum ſtrepitibus, omniſque
eneris infauſtis machinationibus non ſede moven-
um vel diruendum. Nunquam cadet in eos qui
oc ingredi voluerint, quique pio & venerabundo
nimo Chriſtianorum ſacra amplectuntur illud op-
robrium, quod ſint homines nauci & inutilia terræ
ondera. Antiquum ſatis eſt hoc ſcomma, diu au-
em ejuſmodi contumeliis ſatisfactum. Longe no-
iliores Chriſtianis erunt cauſæ quæ animum impel-
nt & exſtimulent, ut ſint viri boni, ut proximo
erviant, ejuſque ſalutem promoveant, quam ſequen-
ibus principia illius Juris Naturalis quæ Auctor ſug-
erit. Efferatæ quævis audendi & perpetrandi faci-
ora libidini, quæ ſuadet ſæpe ſpontaneus inſtin-
tus, millenis illecebris a perditiſſimi ſeculi genio
roritatus, praviſque habitibus pertinacior ſenſim
edditus, niſi Dei & æternitatis ſeria cogitatione com-
eſcatur, fræna vix injiciet ſolus horror & timor ne
eſi a nobis læſionem in nos retorqueant, maxime ſi
s eminentiores pauliſper fuerimus. At vero ab iis
ui ſuos inimicos hoſteſque juratos diligere juſſi ſunt,
il timendum erit Societati; quique legis naturæ &
evelatæ harmonicis præceptis fortius obſtringuntur,
fficiorum mutuorum tanto magis memores, cives
ſuos

ſuos non amabunt modo, ſed amicos habebunt, tanquam propinquis neceſſitudinis vinculis ſibi junctos & germanos fratres. Imo vero Deum unum, ſummum, in Cœlis Regem, Parentem, Legislatorem, Judicem, Ultorem, Remuneratorem, ſuper omnia amantes, timentes, volentes amare, timere, colere, nunquam deſiſtent ab eo ſecundos ejusque in his terris ſimulacro indutos, Imperantes & Principes. Ita communi ſecuritate, tranquillitate & pace gaviſura Respublica magis ſibi conſultum lætabitur amicisſimis ipſi chriſtianorum dogmatibus, quibus venenoſi nil ineſt quam male cohærentibus doctrinis Atheorum; atque unusquisque in illis certiora inveniet ad pacem etiam cum ſe ipſo conſervandam remedia, quam in his, utrique fortunæ conſtanti animo ferendæ aptus redditus. Quid vero de exitu ex hoc Orbe dicam, ad quem omnes tendimus breviori longiorique itinere, ſive Religionem admiſerimus ſive minus. Id certum eſt ipſam humanæ felicitati nil officere niſi inſanus & demens felicitatem ponas in diſſoluto brutalique vitæ genere, quod tamen ipſa ſana ratio horret. Cum vero Religio dictitet & demonſtret infelicisſimam conditionem poſt mortem manere eum, æternasque pœnas daturum, qui ejus præceptis obedientiam negat, operæ pretium nemo niſi ſui ipſius incurius non habiturus eſt, ſaltem inquirere an forte aliquid fundamenti veroſimilis ipſis inſit. Fac vero nunc quæ futura ſunt omnia eſſe dubia, incerta, ac eousque preſſa caliginoſa nocte, ut intellectus ibi deſinat hominemque omnem morte abſorbendum & finiendum credibile evadat; imo vero fac naſci probabilitatem religionem eſſe erroneam, & imagina-

ginariam, quæ naſci ſapientibus nequit, nil tamen ejus exercitium fortunæ hominum derogat, nulli periculo eos exponit, ſed Cultus alicujus Numinis cujus exemplar optimum, juſtiſſimum, veraciſſimum imitari jubemur, potius vitam beatam præſtat omnibus & ſingulis. Nonne ergo ſatius & conſultius videtur in re adeo ſeria tutiori via incedere ſine damno, quam ancipiti tramite progredi ſine lucro, & cum damni metu, olimque forte eheu inter ejulatus experiri nimis conſentanea fuiſſe Veritati ea, quæ exſibilata & riſu excepta fuerant, neglectumque irreparabilem jacturamque pretioſiſſimi temporis quo ad ſaniorem mentem pervenire licebat, lugere in æternum.

VII.

His omnibus pro virium mearum modulo excuſſis, quas humeris meis minus valentibus, & talia fere ferre recuſantibus, nihilominus experiri Laicus ego, & impendere coactus quaſi Meditationibus altioribus debui, ad mea iterum delabor, purioremque Medicinam hactenus derelictam trutinam hypotheſium Auctoris noſtri facere jubeor. Is noſcendus ſatis ex ſocio, niſi jam ſatis cognoſceretur ex ſe, *Religione exploſa* denuo, *Animam vanum terminum, nullam ideam involventem eſſe* aſſerit, *niſi partem illam cerebri quæ cogitat ita denominare voluerimus. Sique principium movens materiale adhuc dari evincatur, tunc vi antecedentium corpora habitura omne id* contendit *quod ad movendum, ſentiendum, cogitandum, pœnitendum requiratur* aſſerit, *ita ut nulla opus ſit Anima.* Ut ergo difficultates aliquas quas ſaltem ſuperſtites credit e medio tollat, agere aggreditur de Motu ponitque

que ceu fundamentum demonſtrationum, quasdam experientias. Has antequam contuear, perlectis ſollicite omnibus inſequentibus, quæ ad totum argumentum faciunt, fateri debeo, nil fere adferri ab Auctore quod non prodat eximiam in Medicina peritiam, plurimaque ita eſſe comparata, ut omni exceptione majora haberi debeant a Medicis ſolide doctis, ut adeo ſeducere mediocri ſcientia inſtructos tantiſper queant. Verum nihilominus nonnulla aliter ſe habere ac Auctor innuit, omniaque tandem nullo modo id evincere, quod evictum fuiſſe ſibi perſuadet, caſta & accurata conſideratio ſingulorum ut confido edocebit luculenter. Age perpetuus comes preſſo pede ſequar præeuntem!

Experientiæ allegatæ hæ ſunt.

1. *Carnes animalium palpitant poſt mortem.*

Id de omnibus muſculoſis partibus animalium quas carnes appellare conſuevimus, verum eſt. Magis hoc ipſum adhuc obſervatur in animalibus, maxime in amphibiis, & aquatilibus, quam in homine.

2. *Muſculi ſeparati de corpore puncti ſe retrahunt.*

Annuit experientia, deque hoc phænomeno dabitur locus diſſerendi plura.

3. *Inteſtina conſervant per longum tempus ſuum motum periſtalticum, & vermicularem.*

In hominibus, quos licet ſupplicio deſtinatos, vivos incidere pœnæ noſtrates non jubent, quosque etiam raro ſtatim poſt mortem incidimus id obſervare vix fert occaſio. Norunt vero qui addiſcendæ Anatomiæ, comparatæ beneficio adjuvandi, operam navarunt,

runt, canibus viventibus inciſis, tumque adeo quando jam mortui judicantur diu ſupereſſe motum ventriculi & inteſtinorum, idque inter alios notavit DRELINCOVRT *in canicidiis*, quia & ab omnibus partibus quibus ſecundum naturam nectuntur, reſecta, & exempta ex corporibus animalium inteſtina, diu repunt & oſcillant.

4. *Injectio aquæ calidæ animat cor, & muſculos, ſecundum Cowperum.*

Injecit COWPERVS in arteriam cruralem cadaveris canini aquam tepidam, ſubito nati motus muſculorum varii ad quos vadebat hæc arteria. Ad cordis motum ſuſcitandum non ſanguinem requiri ſed ſufficere liquorem replentem quemcunque aſſerit HALLER *Prælect. Bœrh. Vol. II. p. 59. Nota o.*

5. *Cor ranæ corpori exemptum, ſoli expoſitum, ſe movet per horam, & quieſcens ſi pungatur, motum reiterat.*

Non ranarum ſaltem ſed aliorum animalium in aqua & terra viventium corda ſe movent exempta, & puncta motum repetunt. *Lowerus de corde cap. 2.* Si cani uno ictu acutiſſimi ſcalpelli thorax apertus, cor ſubito exſciſſum fuerit, projectumque in urnam aqua plenam exiliet inde vivi animalis ſimillimum, & diu etſi languidius pulſabit ita *Bœrh. Prælect. Vol. IV. p. 615. 616.* In felibus, canibus, caniculis, motum aurium, ventriculorum, venæ cavæ multis a morte horis ſuperſtitem vidit HALLER *Prælect. ad §. 159. Nota a.* in iis vero animalibus quorum ſanguis friget longe pertinacius vivere cor idem illuſtris Vir annotavit, namque in rana, anguilla, ſalmone, ſerpente, evulſum per horas pulſat *Prælect. ad §. 187. Nota i.* Culinari experi-

perimento cordi carpionis exſecto palpitanti diu, deinde quieſcenti, pro lubitu motum reſtituere poteris, aliquoties inſpergendo pauxillum ſalis communis.

6. *Cor hominis qui vivus incidebatur, referente Bacone de Verulamio in Tractatu Sylva Sylvarum aquæ calidæ injectum exiliebat aliquot vicibus, ſed ſemper in minorem altitudinem.*

Fallor aut minus accurate adducit Auctor hanc hiſtoriam. Recenſet quippe VERVLAMIVS *in hiſtoria Vitæ & Mortis* ſe vidiſſe hominis cor qui eviſceratus erat (ſupplicii genere apud ſuos pro proditoribus recepto) quod in ignem de more injectum ſaltaverit in altum primo ad ſeſquipedem, deinde gradatim ad minorem altitudinem per 7. vel 8. minuta. Non poteſt non hic ſubire memoriam triſtiſſimum fatum, ſi tale fuit, quod de VESALIO Anatomicorum Principe conſignavit THVANVS. Is nempe incidens cadaver humanum cor palpitare vidit, inde pœnæ loco petere Hieroſolymam juſſus eſt, qua relicta in itinere periit.

7. *Cor Pulli adhuc in Ovo incluſi exemptum palpitat.*

Ibi nempe hoc punctum ſaliens jam cor eſt, & cum adultiore corde easdem dotes obtinet.

Aeris calidi afflatu animal reviviſcit moriturum ſub campana Antliæ.

Id familiare experimentum eſt, reſpiratio nempe & vita pari paſſu ambulant: illam nondum juſto diutius ſuſpenſam ſi reſtitueris illico redintegrabis motum cordis & circulationem. Addo aliud huc faciens Cor ſub recipiente poſitum exhauſto aëre perrexit pulſare per horæ ſpatium. *Boyle nova experimenta pneumonica de reſpir. p.18.*

Boyle

Boyle & Steno columbarum, canum, & cuniculorum corda diſſecta in fruſta æque ſeſe movere viderunt, ac ſi integra eſſent. Idem in talpæ pedibus reſectis obſervare eſt.

De cordibus in fruſta diſſectis præter *Stenonem*, *Lowerum de corde cap.* 2. & alios idem habet *Harveus & Baglivius de fibr. motr. lib. I. c.* 7. *Boyle de Utilit. Philoſ. exercit.* 1. *p.* 112. cor piſcis exſciſſum, transverſim diſſectum, preſſione a ſanguine purgatum, linteoque deterſum, diu motum ſuum retinuiſſe vidit. Reſecto ventriculo dextro motum ſuperſtitem obſervavit *Wepferus de Cicut. aquat. p.* 254.

8. *Erucarum, Vermium, Aranearum, Muſcarum, Anguillarum diſſectarum partes ſe movent, præcipue aquæ calidæ immiſſæ.*

De inſectis in genere hoc notat *Gorter Compend. Med. Tom. I. Tract.* 18. §. 13. Imo vero in his animalibus minoribus quorum agiliora ſunt corpuſcula non nituntur ſolum fibræ & in rugas ſe contrahunt, ſed repunt elaſticæ, motu proprio & a morte ſuperſtite & alternis vicibus extenduntur & ſe contrahunt. *Haller Prælect. ad* §. 401. *N.* 9.

9. *Gallus indicus capite reſecto ivit, cucurrit, ad murum perveniens retrogrediebatur, alas concutiebat, tandem cadebat, ſed omnes ejus muſculi movebantur adhuc, in felibus & catellis fere idem obſervatur.*

Aves capite reſecto per aliquod tempus obambulare notat *Ent in Animad. in Thruſton.* Ipſe Lipſiæ cum Amicis Medicinæ ſtudioſis in amœniſſimum illud nemus ſuburbanum exſpatiatus excidi ranis corda, & miro nobisque non explicabili ſpectaculo eas vivere,

 ſalire,

ſalire, natare, vidimus. Quis crederet ſine cerebri cordisque ope vitam perdurare poſſe, motoribusque his binis demtis de Machina, ejus motum perſtare nihilominus?

10. Polypi non ſaltem diſſecti ſe movent ſed abeunt in tot Animalia.

Crediderim patere ex iis quæ allatis ab Auctore experimentis & experientiis adnexui, non inaudita hæc Phænomena Medicis apparitura. Plura ſunt quæ his cognoſcuntur & memoratu hercle digna, quibus tamen ad ſpargenda impia dogmata nunquam uſi ſunt. En inter varia bina hæc.

In Cadavere motus cordis reſuſcitatur, & pulſationes ſuas quamvis debiliores orditur de novo, dum inflatur aër vel injicitur aqua tepida in ductum thoracicum *Wepſer de Cicuta p. 90. 223. Peyerus Parerg. Anat. p. 111.*

Poſt mortem in gelido Cadavere ubi nullus motus exterior ſupereſt, ductus thoracicus, qui proximo momento chylo albo diſtentus apparuit, integre evacuatur ſub ſpectantium oculis, & pellucidus evaneſcit *Bœrh. Præl. ad §. 125. in fine.*

Ex ſuis nunc infert Auctor ſequentia.

VIII.

Quælibet minuta fibra corporis organici ſe movet per principium ſibi proprium & cujus actio non dependet a Nervis (quemadmodum hoc ſit in motibus voluntariis) quoniam motus perdurat in partibus quibus nullum amplius cum circulatione commercium. Si ergo in fruſtis diſſecti cordis hoc obſervatur, cor inte-

grum

grum ea vi omnino debet inſtrui, quod appariturum foret & in humano ſi cadavera adhuc calida inciderentur. Et hoc fundamentum ſuarum deductionum adeo rigide ſibi dari præcipit, ut *ſi millies negaretur tamen id veriſſimum permanſurum,* affirmet.

*

* *

In ipſo homine ereptum thorace cor palpitare conſentiens cum Auctore ſcribit Cl. HALLERVS *). Hosque motus cordis & aliarum partium ceſſante jam corporis vita, nihilominus adhuc ſuperſtites, nemo facile negaverit, quoniam quilibet aut ipſe eos oculis obſervare poteſt pro lubitu, aut a fide digniſſimis Viris relatos vix in dubium vocare audebit. At vero cum ad breviſſimum tempus reſpectu vitæ qua durante ſuccedunt, nunc ceſſante, eadem perdurare animadvertantur, ſaltem inquirendum, an ab hoc ſolo principio quod Auctor urget, & a nullo alio per omnem vitam pendeant. Dum inflationem aëris, & injectionem aquæ, in ductum thoracicum, qua cor reviviſcit, recenſet BOERHAAVIVS addere conſultum duxit: *Cor ita viſum eſt recidivis viribus pulſaſſe atque vitæ ſecundæ initia ſuſcepiſſe. Sed hæc vis breviſſimo tempore ſupereſt, atque intra paucos pulſus deſtruitur irreparabilis* **). Æque brevem & irreparabilem habendam credo omnem motricem vim, quæ poſt vitam reliqui corporis deperditam partibus nonnullis fibrisque quibus conflantur ineſſe deprehenditur. Sane ipſam ſaltem tam diu forſan durare putat

 de

*) in Prælect. ad §. 188. Nota i.

**) Prælect. ad §. 401. N. 3.

de GORTER donec omnes ſpiritus in fibris nervorum contenti, elaſtica fibrillarum contractione propulſi, & in muſculoſos villos harum partium depoſiti ſint *). Cauſamque ejusmodi motionum ad tempus reſiduarum fere eſſe frigus contendit BOERHAAVIVS quo conſtringi partes extremas aëri ambeunti maxime obnoxias, liquoresque ita verſus partes interiores vitali calore adhuc tepentes repelli, motusque vitalibus aut voluntariis analogos oriri dicit **). Dari debet omnino his cauſis & aliis forſan aliquid, ſed in ipſa fabrica fibræ ratio præcipua repoſita eſt ſine dubio, qua ſumme irritabilis ad ſui contractionem, quamdiu nondum exſucca & arida eſt inſita virtute fertur, ſine cerebri & cordis adjumento, id quod ſæpius notavit & BOERHAAVIVS ipſe, & Commentator eximius HALLERVS ***). Quousque vero illam vim contractilem extendere liceat, & quam inſufficiens ſola ſit motuum omnium corporis humani principium, conſtabit ex ſubſequentibus.

IX.

Jam de Sede dicturus hujus virtutis motricis intrinſecæ fibrarum, illam ponit ad Stylum Veterum *in parenchymate, vel ſubſtantia partium, abſtrahendo ab earum venis, arteriis, nervis; ſingulasque organicas partes ſuum in ſe elaterem continere omnesque motus vitales, naturales, animales, automaticos proficiſci ab hac actione* affirmat. Atque *ex hac mechanica neceſſitate*

*) Compend. Med. Tom. I. tract. 18. §. 13.
**) Prælect. Volum. III. p. 490.
***) Prælect. Volum. IV. p. 615. in notis.

ſitate fieri dicit *quod terrore corpus ſe retrahat, & palpebræ dimittantur, quod pupilla contrahatur & relaxetur, quod ſrigore pori cutis ſtringantur, quod ventriculus venenis & emeticis convellatur, quod cor & arteriæ muſculique contrahantur, quod pulmo ſuum officium præſtet, quod ſphincter veſicam & inteſtinum rectum claudat, quod cor fortiori contractione gaudeat, quam alii muſculi*, & ut nil deſit *quod penis per muſculos erectores erigatur*, cujus phænomeni prolixiorem quam opus erat mentionem injicit, nondumque id ſatis explicatum autumat.

*
*   *

Hæc quæ de inſito fibris partibusque fibroſis principio motus proponit Auctor, paulo nunc exactius fuſiusque examen flagitant. Motus omnes quotquot in corpore vivo animadvertuntur, aut proficiſcuntur a corde & arteriis, venisque diverſarum ſerierum, circuloque diverſorum liquidorum, per has vias in orbem voluto; aut ſuccedunt miniſterio muſculorum. Omnis autem muſculoſa compages ſive voluntariis motibus ſerviens, ſive aliis injuſſis, in ſubtiliſſimas capillares fibras, fibrillas, fibrillulas filamenta ad ſtuporem exilia, reſolvi, divelli, dividique poteſt, quod occupatiſſimus in hiſce microſcopiorum ope LEVWENHOECKIVS accuratiſſime docuit: cera autem ruyſchiana & immiſſus mercurius cognitionem fabricæ muſculoſæ deinde certiorem reddiderunt. Illos vero fibrarum ſibi incumbentium collectarumque invicem faſciculos, lacertosque, qui varia diſtributione & configuratione muſculoſas partes effin-

gunt, ſi parenchyma nominare volueris non repugno: certumque etiam eſt ad corpus muſculoſum efformandum, id ingredientes arterias, & egredientes venas, nil de ſuo ſuppeditare; fibrasque muſculares ad arterioſum venoſumque ſyſtema circulationi humorum inſerviens neutiquam pertinere. Nimirum arteria ingreſſa muſculum & in ramificationes diſperſa, licet obiter intuentibus propter earum multitudinem eum totum videatur conſtituere, tamen in fibras muſculoſas haud elongatur (quas eapropter etiam cera ruyſchiana intactas relinquit ſumma adhibita opera in eas non penetrans) ſed apicibus minutiſſimis in venulas ſibi reſpondentes, in arterias ſeroſas, in cellulas oleoſas deſinit; niſi forte poſtquam in arterias ſeroſas, lymphaticas & alias ſubtiliores abiit ultima ſua & exiliſſima propagatione fibrillulas muſculoſas tandem effingat, quod conjicere quidem, ſed pro vero venditare haud licet. Neque ab extremis arteriolis rubris, ſeroſis, lymphaticis, oriundæ venulæ lymphaticæ, ſeroſæ, rubræ, in majores venas ſanguiferas deſinentes parenchymati muſculoſo condendo famulantur. Sollicite etiam id parenchyma ſolum noſſe & determinare cupientibus, contentus in ſuis receptaculis adeps ab eo ſeparandus eſt, a quo ſæpe in obeſis maxima muſculi moles oboritur: faſciculi nempe fibroſi & fibræ ſingulæ, cum omni externa muſculi ſuperficie, veſtiuntur & involvuntur undique celluloſa membrana, oleo plena, inungendis, lubricandis iis ſerviente, ut motus facilitetur, concretio fibrarum impediatur, moleſtusque futurus attritus caveatur. His omnibus rectiſſime remotis ſuperſunt nervi, a quibus parenchyma muſculare commemorans

morans Auctor æque abſtrahendum ducit, ac ab arteriis & venis, ſed falſo. Docuit ſcilicet præ aliis Illuſtr. BOERHAAVIVS *) nervum ad muſculum delatum, depoſito ſuo involucro externo, diſtribui ſuis ſurculis per omnia illius puncta; demonſtravitque graviſſimis rationibus fibras muſculares omnes corporis eſſe nervi ultimi pulpoſi expanſionem tenuiſſimam intus cavam, figuræ ut muſculus, plenam ſpiritu, qui datur a nervo illo ab origine ex cerebro vel cerebello vi cordis aſſiduo. Nemo autem contradicturus eſt huic aſſerto, qui conſideraverit attentus muſculum aqua calida ablutum, elutum, & maceratum ut liquida omnia in eo contenta expellantur, demta omni pinguedine, remota & deglubita quantum licet minutiſſima arteriarum & venarum conglomeratione, tamen permanſurum muſculum, pendentem a ſuo nervo, cui totus cum omnibus ſuis fibris carneis motricibus debetur: quique per omne ejus corpus ſe diffundit, efficitque ut nullum detur fibrillæ punctulum quod punctum non ſentiat. Atque quemadmodum hoc de muſculis animalibus omnibus verum eſt, ita etiam de vitali illo muſculo, corde, valet, quod coctum, lotum, maceratum, ſegregata adipe, remotisque vaſis majoribus & coronariis, donec ſolum ſceleton muſculare ſuperſit, parvulam molem obtinet, eandemque totam nervorum cardiacorum ſobolem. Quod vero partes naturales attinet, ſenſibiles illæ, pallidæ, albæ, exſangues, fortes vero nihilominus & agentes efficaciter motu ſuo periſtaltico vermiculari, vereque muſculoſæ membranæ, ex quibus ventriculus totusque inteſtinorum canalis

*) inſtitut. §. 395.

compoſitus viſitur, ſatis ſuperque nervoſum ſuum ingenium produnt. Paucis dicam, omne id quod movet in corpore ſive animaliter, ſive vitaliter, ſive naturaliter, ſi rite conſideraveris ſubtiliſſima anatome adjutus, merito ad ſyntaxin nerveam pertinere convinceris. Si nunc ſcandas ad nervorum omnium origines, conſtabit ultro omnem muſculoſam fibram alligari cerebro, cerebello, medullæ ſpinali horumque continuationem exiſtere, atque ex his ceu ex fonte in omnes fibras ad minutiſſimam fibrillulam usque dimanare perenni flumine liquidum illud tenuiſſimum nerveum, ſine cujus influxu nec ſenſus nec motus ſuccedit & perennat. Jam autem quam male Auctor nervos a ſuo parenchymate ex quibus tamen id totum coaleſcit, abeſſe juſſerit, ipſe videat agnoſcatque illam vim contractilem elaſticam motoriam quam fibris inſitam dicit, quamque demere ipſis neutiquam vellem, tamen ſine fluido ſubtili in eas delato, ſine commercio & continuitate cum nervis & cerebro, evanidam, inertem, minusque ſufficientem edendis motibus perduraturis in noſtra machina futuram. Revocet oro in memoriam quæ ipſum latere nequeunt phænomena nervum preſſum ligatumque inſequentia; recordeturque motus omnes functionesque partium ad quas infra vinculum & compreſſionem excurrit hic nervus ſubito elangueſcere & ceſſare, illæſa & ſuperſtite omnino fibrarum naturali vi contractili & virtute elaſtica, quæ & mortuis fibris ineſſe pergit; ſtatim vero redire iterum ubi preſſio & ligatura fuit ſublata. Tandem cerebro compreſſo & cerebello, omnes motus cum ipſa vita ſufflaminari conſideret, & de ſuo principio movente in ipſis partibus motis unice reſidente

magni-

magnifice ſentire deſinat. Id ſolum nec naturalibus, nec vitalibus motibus ſufficit ſine concurſu nervorum, quemadmodum ex hactenus dictis ſatis apparuit, multoque minus animalibus & voluntariis, quos hic non minus ac illos æque a parenchymate partis ſalvem deducere Auctorem miror, abſtrahendo a nervis; cum tamen antea (vide No. VIII.) hos motus voluntarios a nervis pendere largitus eſſet. Ad omnes motus ſine exceptione merito trahitur, quod ſcripſit Cl. de GORTER *): *Duplex obſervatur in omnibus fibris ſenſilibus motus, alter inſitus & in viventibus & demortuis præſens; alter ſuperadditus in viventibus ſaltem agens qui ſpirituum influxum ſupponit. Inſitus vero omnino talis eſt naturæ quod ſemper fibræ nitantur accurtari.* Seorſim autem de motu muſculorum voluntario decebat Auctorem, ſine dubio operum Bœrhaavianorum lectorem, revocare in animum notabilia verba: *Motus in fibris a morte ſuperſtites a contractione ſpontanea vaſorum & fibrarum: ſed contractio muſculi a contractione ſpontanea nullo modo provenit* **). Quæ ſi hypotheſi ſuæ inimica obiter habuerit aut non attente ſatis conſideraverit valorem illorum diſcat ab Illuſtri quem merito veneratur HALLERO ***): *In ipſa fibra muſculari*, inquit, *etiam mortua vim contractilem reperimus ut dimiſſa ſe breviorem reddat; Sed ab ea vi quæ omnibus partibus & perinde membranis non muſculoſis ineſt, differt contractio viva, neque ipſi muſculi carni cauſam motus propriam ineſſe facile demonſtratur, cum nervo reſecto nihil ſimile poſſit. Quæ vero in muſculis animalium nuperrime enectis*

*) Comp. Med. Part. I. Tr I. §. 17. 18.
) Inſtit. §. 415. *) Phyſiolog. §. 408.

ctis ſupereſt palpitatio, eam ad nervos ad motum adhuc habiles refero. Atque horum dilucidationi ſerviunt egregie, quæ alibi habet Vir doctiſſimus: *Non pauci Anatomici*, ſcribens, *naturalem contractionem fibræ muſcularis confundunt cum vitali. Hic error fuit* FABRICII *ab* AQVAPENDENTE, LOWERI, CHEYNEI, PERRAVLTI, STVARTI, *ſed recte aliter ſentit Præceptor; motus enim qui a fibra muſculari disſciſſa poſt mortem oriuntur, aut qui ſponte fiunt reſectis Antagoniſtis, armillis, aliisque reſiſtentiis, inertes omnino ſunt, & pauciſſimis unciis poſſunt coërceri. Robora vero muſculorum tanta ſunt, ut ea ipſa pondera quæ facile elevamus muſculos, appenſa diſtrahant, per quorum potentiam moventur. Olim jam Galenus contractionem muſculi quæ a nervo fit, ſeparavit a naturali illa & debili contractione* *).

Atque his ita expoſitis, ſupervacaneum fere, ſeorſim motus illos conſiderare, quos in Machina humana obvios ceu tot ſpecimina in medium producit Auctor, falſo ſtabilitum ejus principium ulterius adſtruere juſſa, interim ut appareat in eorum ſucceſſu, nervis deberi omnia, brevibus eosdem contemplabimur.

Quando terrore corpus concutitur, totusque ejus cortex ſtringitur & palleſcit, humoresque qui ibidem commorabantur, cum impetu verſus interiora adiguntur, omnino mechanicum quid ſubeſt: ſed conſideraſſe juvat, cutem eſſe pellem nervoſam; deinde multum quoque animi pathemati tribuendum, quod lege certa corporea hic motus inſequitur, de qua re in inferioribus.

Porro

*) Prælect. ad §. 401. Tom. III. p. 403.

Porro foramen illud rotundum in medio uveæ ex-
ulptum quod Pupilla Anatomicis dicitur, ſecundum
turam modo conſtringitur modo relaxatur, ut pro
jecti viſibilis in majori vel minori luce collocati,
uloque magis minusve propinqui varietate, ingre-
entes per corneam radii, pergentes per aqueum
imorem ad lentem, dextre modificentur, pluresque
l pauciores admittantur, viſusque ita legitime ſuc-
dat. Datus eapropter pupillæ peculiaris ſphincter,
ui fibris circularibus eam ſtringat & coarctet, dati
nt proceſſus ſive fibræ ciliares, quarum ope dilate-
r. Minime vero in his fibris ſolis inſita habitat
ec ſeſe conſtringendi & diducendi poteſtas, ſed pen-
et a nervoſorum ſurculorum a quibus illæ oriuntur
tegritate, quin quod mirum læditur illa & aboletur
atim, ſimulac læſus fuerit nervus opticus. Nimi-
m quando aliquod vitium in retina, in nervo, in
alamis ejus, in medulla cerebri, in parte corticis ex
ua oriuntur prima filamenta nervum opticum tan-
em conſtituentia, hæret, atque hæ partes a quacun-
ue demum cauſa comprimuntur, guttaque ſerena ut
ocatur excluditur, mox ultra modum dilatata pupilla
nnem constrictionem renuit, omnique motu priva-
r; qui niſi illam compreſſionem ſuſtuleris, nun-
uam ſuccedit, licet fibræ ſphincteris & proceſſuum
liarium eædem perſtiterint, ipſæque nec compres-
onem, nec aliud vitium experiantur; adeoque nil
erpeſſæ videantur, quod inſitam motricem vim inhi-
ere poſſet.

Quæ de frigore poros cutis conſtringente Auctor
abet, aſpera bruma, quæ dum hæc ſcribo rigidum
nperium tenet, nos omnes abunde docet. Demon-
ſtrarunt

ſtrarunt vero MALPIGHIVS & RVYSCHIVS cutis membranam præter arteriolas & venulas minutiſſimas ipſi implantatas, totam nervis conflari, pupillas ſuas per rete Malpighianum ex involucris eorum natum in cuticulam extendentibus, quæ papillæ ex pulpa nervoſa oriundæ ſenſum cuti impertiunt, ac quoties frigus aliquam partem adoritur univerſalem illum horrorem & ſpaſmum conſenſus lege producunt.

Ventriculum quod attinet, ille non muſculoſæ ſaltem, ſed nervoſæ tunicæ præcipue debet, quod acutiſſime ſentiens & irritatus venenis & emeticis convellatur; internamque ejus ſuperficiem obducens cruſta villoſa omnis minutiſſimis vaſculis exhalantibus & abſorbentibus ac nervulis in papillas tenues ſurculosque molliſſimos abeuntibus conſtat, qui ſtimulis a lingua ſæpe haud percipiendis offenſi, ſpaſmodico-convulſivas ſtricturas toti ventriculo inducunt.

De corde ejusque vi aliis muſculis majori, & de arteriis dicetur infra: hic ſaltem noto, & arteriarum venarumque motum nullum futurum, ſine tunica muſculoſa, quam ipſis eleganter aſſeruit Excell. HEISTERVS *) hæc vero omni ſua energia deſtitueretur, niſi comitem haberet nervoſam.

Reſpirationem quod ſpectat, ejus mechaniſmum quem fuſe hic deſcribere inſtitutum meum haud patitur; vix ſola naturali fibrarum conſtrictione abſolvi crediderim. Plura ſane exſpirationis & inſpirationis arduum negotium requirit.

Sphincter muſculus veſicam & rectum tam diu claudit, quam diu nervorum ad eum abeuntium integritas ſalva eſt. Vidi rudem contuſionem lumborum

*) in notis Compend. Anat. No. 63.

m & oſſis ſacri in puero, involuntariam lotii &
cum excluſionem induxiſſe, cum ſphincteris fibræ
ıllum damnum eſſent perpeſſæ, locis ſaltem male
ectis, ex quibus nervi ad has partes ablegantur.
Penis reſtat, quem machinæ ſuæ non appenſum
lde ſine dubio doleret Auctor, nimis fere creber in
mmemoratione illius finis cui dicatur; quem ipſi
racceptum iteratæ narratiunculæ de vulva, de ere-
one, de coitu, de impotentia, de priapiſmo, de fonte
ıoris exhauſto, loquuntur. Videtur vero explica-
actionis ejus, quam inter deſiderata medica hodie
llocari non recordor, haud adeo difficilis, licet a
ntractione ſuarum fibrarum minus commode de-
ceretur, in expanſione potius totius ejus molis
nſiſtens. Si nempe conſideretur id, quod in ſe-
ıentibus denuo benevolæ recordationis ergo de
ne verba faciens Auctor ipſe eloquitur, imagina-
onem, addo cauſas corporeas ſtimulantes & irritan-
s, efficere, ut ſpiritus velocius & copioſius ruant in
uſculos erectores, & vicinos alios; intumeſcentibus
& contractis, corpus penis plus apprimatur oſſi
bis, ejusque vena magna cum minoribus compri-
atur, coarctetur, ſtringatur, ſanguinisque regreſſus
tardetur & ſuſpendatur neceſſum erit: cum vero
teriæ ſanguinem liberius afferant, corpora caverno-
penis & urethræ eo repleri & diſtendi in omnem
ıbitum tam diu debebunt, donec non amplius agen-
ous muſculis, cauſisque ceſſantibus quæ ſanguinis
fluxum inhibebant, liber ei abitus per venulas &
nam majorem concedatur, & penis detumeſcat &
llabatur. Atque hæc ita ſeſe habere optime evin-
ur ex experimento SWAMMERDAMMII qui ca-
nis

nis penem in ipſo coitu acu trajecta ligavit, & in anteriori parte ejus, inflicto vulnere ſanguinem exilire vidit, ſtatim detumeſcente membro. Penisque ille quem depinxit HEISTERVS in Compendio cujus vaſa omnia cum cavernoſis corporibus mercurio replevit cauſam tumoris & rigoris falſo a Veteribus ad flatum relatam eleganter explicat. Crediderim ita nodoſum problema feliciter ſolutum.

X.

P*rincipium vero incitans, & fontem ut ſenſationum, voluptatum, pathematum, ita & cogitationum quod* ex mente Auctoris *Hippocrates vocavit ενορμουν, vere Animam, exiſtere* dicit *circa nervorum origines in cerebro, muſculis æque ad cogitandum inſtructo, quemadmodum iis inſtruuntur pedes ad ambulandum. hocque per nervos imperium exercere per univerſum corpus* ait, *indeque omnia explicabilia explicari poſſe, ad morbos imaginationis usque* aſſeverat.

*

* *

Ita tamen tandem coactus ad nervos accedit Auctor quibus hactenus carere velle videbatur. Serviunt omnino hi omnibus illis, in homine, quorum nunc mentionem facit. De cerebro autem ad cogitandum non idoneo in ſuperioribus ſatis actum; Muſculos etiam cogitationibus famulantes, de quibus impune garrit, imaginarios eſſe, talesque cerebrum omnino neſcire, Medicorum qui ejusmodi temerariis figmentis non poſſunt non offendi, ignobilioribus, notiſſi-

otiſſimum: muſculis denique tanquam inſtrumentis
notuum, cogitationes per motum non explicabiles
aud abſolvi, in antecedentibus ſatis confido, fuit
victum. Vana vero eſt opera quam adhibet Auctor
ninus fidelis Commentator, ενορμουν HIPPOCRA-
IS ſive ejus impetum faciens elaterem quendam
ut principium movens in ipſo cerebro hoſpitans, &
nperium in motus omnes corporis exercens, inter-
retari conatus. Dabitur de eodem agendi idoneus
ocus ubi infra de voluntate motus quosdam Machinæ
oſtræ per communem experientiam moderante pe-
uliarem tractationem inſtituere aggrediar. Figu-
atæ autem ipſius dictiones, atque otioſa verba, quæ
ullas ideas excitant, quibus rerum exiſtentia non re-
ondet, quæque ſeveriores demonſtrationes adhibe-
e vetant, relinquenda ſunt rhetorum artibus perſua-
endi. Cerebrum certe ne quidem ſibi ipſi motor
ſt, quicquid enim per ejus vaſa & tubulos omnium
 univerſo corpore tenuiſſimos molliſſimosque mo-
etur, ſtatim quieſceret, ſimulac cordis ſyſtole ceſſa-
et, nam hac ſola protruſus in arterias ſoporales &
ertebrales ſanguis undatim propellit movetque id
mne, quod movetur per cerebri corticalem & me-
ullarem ſubſtantiam, nervosque inde emergentes.
Non ſatis mirari poſſum Auctorem callidum adeo &
tificioſum in inveniendis iis & adaptandis, quæ co-
rem & ſpeciem addere poſſunt ſuæ hypotheſi, obli-
um fuiſſe motus duræ matris a Medicis quibusdam
aximi nominis in theoriam invecti & defenſi. In
ac enim membrana quæ omne cerebrum ambit,
uæ nervos omnes veſtit, quæ divagantes per omnia
orporis loca comitatur fideliter, & usque ad extre-

K mos

mos ramuſculos involutos antea non deſerit, quam ubi ſola eorum pulpa ad ſenſum & motum opus eſt; in hac membrana inquam commode locari poſſe videbatur elaſticum, validum, & potens aliquod ενοςμουν. Scilicet poſt MAYOVIVM, MALPIGHIVM & WILLISIVM, nil certi affirmare audentem, Medici Itali PACCHIONIVS, BAGLIVVS, LANCISIVS, SANTORINVS, & inter Germanos HOFFMANNVS motum conſtrictorium & dilatatorium duræ matri multis argumentis tribuere, variaque ut in ſano ita & in ægro corpore phænomena inde derivare allaborarunt. Atque hos inter præcipue PACCHIONIVS tria fibrarum ſtrata oſtendere annifus duram matrem jure muſculum dicendum edixit: BAGLIVVS vero eandem vere ſyſtolizare & diaſtolizare, atque proinde cor cerebri denominare non dubitavit. Hæc ſi vera fuerint omnia, quæ olim ipſe in tenui commentatione *de Venæ ſectione jugulari* defendere, perſuaſus Optimi Præceptoris HOFFMANNI inſtitutione auſus eram, maximum omnino pondus additura videri poterant primo intuitu iis, quæ Auctor de elatere ſummo, cui ſubordinati ſint omnes in corpore reliqui, in cerebro, quod muſculis inſtructum dicit, exiſtente, in medium profert. At ſi attente conſideretur, vaſtam cerebri molem, cum ſuis involucris, adeo liberaliter replere oſſeam ſuam capſam, ut difficillimum ſit demtum ſemel cranium ita rurſum apponere, ut omnis ejus margo firmiter & exacte partibus a quibus ſerra ablatus fuerat, reſpondeat iterum; arctius undique compreſſæ, & coërcitæ meningi vix ſuperfuturum ſpatium ſufficiens apparebit, ut eam moveri poſſe credibile ſit. Deinde etiam ipſa ſuturis omni-

omnibus, tuberibusque internis cranii, oſſibusque temporum, occipitis, ſyncipitis, fibris ſuis firmiter affixa adhæreſcit, ut ab iis locis non facile ſecedere, ſeſeque cerebro quod ipſam inſuper extrorſum ſemper premit & urget, magis appropinquare valeat, ut adeo motum ejus quemcunque non aliunde, niſi ab arteriarum eam pervadentium pulſu derivare fas ſit. Interim conceſſo etiam motu duræ matris, atque adſcripta ipſi qua vere non gaudet potentia, propellendi & amandandi ad ſua loca ſubtiliſſimum liquidum per nervos, quorum beneficio motorem in cerebro exercere ſuum imperium in corpus, Auctor notat, tamen nil lucri accedit ejus hypotheſi, ut infra luculenter apparebit.

XI.

Nunc ενορμουν ſuum potius quam Hippocraticum deſcripturus fuſius primo loco ejus jura & potentiam in penem expendit, arduamque quæſtionem proponit *cur ad adſpectum forniſſæ fœminæ is commoveatur, hoc vero non fieri* dicit *ex organi hujus naturali indole ſed quoniam imaginatio efficiat, ut eo copioſius ruant cum ſanguine ſpiritus, ac corpora cavernoſa inflent.*

*
* *

Ne omnium demum illuſtrationi, genitalia utriusque ſexus membra & penis præcipue, (qui diſſectus in fruſta, amplius haud erigeretur & moveretur, quemadmodum aliæ partes corporis) dicari videantur; poteramus pari ratione & majori verecundia

quærere, cur ſanguine turgidula incaleſcant caſtiſſimi Juvenis labia, oſculum ardentiſſimum amabili ori geniſque Amicæ, diſpuncta cum purpura nive allicientibus impreſſuro, cur voluptatem quandam irrepentem perſentiat interna auris, & per eam anima ex concentu muſico, quem inchoare aggrediuntur periti ſuæ artis fidicines? cur decubituris in lectum molliter ſtratum & tepefactum gratiſſimo ſenſu pruriat cutis? cur ex ſolo adſpectu ferculi delicati animo jam exiſtente in patinis, moveatur ſaliva? & ita porro. Sancitum eſt inexplicabili hominibus lege ut certas ideas definiti ſequantur in corpore motus per cauſas mechanicas, quarum tamen primam modificationem ſapientiſſimi mortalium ingenue in perpetuum ignorabunt.

XII.

Per easdem vias agere imaginationem Matris gravidæ in fœtum ejusque conformationem mutare contendit *inſontemque irrideri* MALLEBRANCHIVM *a nonnullis* profitetur, *cum difficulter tot relationes* TVLPII *&* *aliorum multorum in dubium vocentur.*

*

* *

Recte monet Auctor, non licere omnes ejusmodi nævorum maternorum hiſtorias, vel & conformationis vitia, ab Auctoribus fide digniſſimis annotata, in dubium vocare. Nimis eheu frequens eſt in hiſce experientia, nec puto diu Medicum quemcunque in Praxi fuiſſe verſatum, quin propriis obſervationibus adaugere locupletem triſtium obſervationum catalogum

um valeat. Credat qui volet BLONDELLO univerſalem veritatem ridenti, & audacter ſatis aſſerenti abuloſa eſſe omnia quæ de imaginatione materna, viisque inde in fœtum derivatis animadverterunt non redulæ aniculæ, ſed oculati teſtes graviſſimi Medici. Difficilius fateor concipitur, quam mille aliæ ejusmodi hiſtoriæ, relatio quam habet MALLEBRANCHE gravidam viſo ſupplicio hominis rota fracti peperiſſe infantem cui oſſa iisdem locis diffracta erant. Abſum vero, ut totam ſubſannatione excipiam, cum poſt viſum leporem cui pes anterior & poſterior diffractus erat, fœminam mortuum fœtum diffracto brachio & pede altero edidiſſe norim. Nullus interim audeo ætiologiam ullam ſuppeditare triſtium ſane eventuum, quos natos ex materna imaginatione eheu expertus ſcio, ſtupeo rem ita ſeſe ſæpe ſæpius habere, modum & vias per quas, aſſequi non valeo. Videtur verum præcipue vitia ejusmodi migrare in fœtum, quæ aliter multo frequentiora forent, quando non præviſus peregrinus quidam adſpectus vel attactus, in terrorem ſimultaneum conjecit gravidam. Hic cum nervoſum ſyſtema maxime, totumque adeo concutiat, & commoveat, innumeris aliis phænomenis hoc teſtantibus, non vitio vertendum videtur Auctori, quando quærit an non forte æque per nervos detur Matri cum fœtu communio, quam per vaſa ſanguifera. Verum cum communio hæc interventu ſolius placentæ abſolvatur, in ea autem nervi non deteguntur mutuum illud vinculum nectentes, his jure quodam nil tribui poterit, eorumque ope illuſtrari obſcurum adeo hoc argumentum. Serviat autem id ipſum ad coërcendam maleſanam illam ſuperbiam

præfracte rejiciendi & negandi omnia quæ ratione non aſſequimur. Ipſe ſibi hoc occinat Auctor, univerſalibus aſſertis toties obloquens, quod Blondello communi conſenſui obloquenti exprobrandum duxit. Multa ſibi exhauſiſſe & perquiſiviſſe ad minutiſſima ſæpe viſa eſt ſe ipſam collaudans & extollens judicii humani acies, multa vera & veriſſima venditavit, quæ delevit tandem dies, quæ opinionum commenta falſa & falſiſſima vidit oculatior poſteritas. An quæ falſa, fabuloſa, nugivendula, & incredibilia, & rationi contraria, clamat ſuperciliosſus dubitandi & negandi pruritus certa eapropter & evidentia eſſe deſinunt?

XIII.

In facie ALEXANDRI POPE *celebris illius Angli, ſi imaginem ipſius ſpectaveris omnes muſculi quaſi convulſi ſunt, quia Origo nervorum laborioſum partum edere molitur. Intus chorda eſt quæ trahit partes externas. Si id ab Anima deducere volueris, idem eſt ac ſi ad operationem Spiritus Sancti provocaveris.*

*
* *

Obſtupui, ſteteruntque comæ ad blasphemum hoc & abominabile ſcomma. Poterat abeſſe omne hoc argumentum, quod ad ea quæ in principio libelli dicta ſunt pertinens, nil aliud evincit, quam mutationes definitas obſervari in corpore, quando Animæ affectiones diverſimode ſe habent, & vice verſa. Neutiquam vero hæc talia ſufficiunt probationi, vere nullam dari animam, cum ejus exiſtentia ponderoſis argumen-

gumentis demonſtretur, quæ hoc phænomenon quod Auctor adducit, parum ferit. Quid enim impedit quo minus nihilominus ſalva maneat cum ſuis operationibus anima, licet cerebri adjumento uſa, & ſi ita loqui licet ejus obſtetricia ope adjuta parturiat, intentisque omnibus ſuis nixubus extus etiam partus dolores prodat. Nonne alioquin etiam ex vultus conformatione, & lineamentorum ductubus, abditam animi indolem, recluſosque altius mores, & clandeſtina pathemata vix unquam fallacibus notis hariolari licet? Nonne facies tacita quaſi loquela myſteria Animæ pandit, ſecretosque ſenſus ultro eloquitur? Sane non ſolus POPIVS frontem contracta planitie in rugas, & ſtrias exhibens, ſuperciliisque retractis, & ad naſum reflexis, ſerias intus verſare cogitationes monſtrat, ac oculis immobilibus, demiſſis, & tenaciter in unum punctum defixis ferventia ſtudia & ſublimes mentis labores prodit. In omnibus hominibus deliteſcens antea animus per ſuam in fronte januam contuentibus quaſi obviam incedit, & in omnem vultum diffuſus, quicquid latuerat abſconditum foras prorumpere facit. Si chordam adeſſe intus aſſerueris, eandemque propagari filis ſuis in faciei muſculos affirmes, non repugnavero, neque puto aberraturum a vero illum qui ex conſenſu partium nervoſarum externarum muſculis frontis & faciei intertextarum, cum cerebro, deduxerit convulſivum illum quem vocat Auctor, muſculorum vultus habitum. Diu ſerioque meditantibus percipi tandem tendentem ſenſum aliquid doloroſi habentem in interioribus capitis, Litterati credo omnes experiuntur; atque unumquemvis eorum convictum opinor pedibus

vel manubus ſibi ad cogitandum haud opus eſſe, ſed cerebro. Expendenda trado huc facientia Lectoribus, quæ in eleganti diſſertatione *de Phyſiognomia* conſignavit Doctiſſimus LANCISIVS non cuivis ut ipſe judicat obvia, ſed illis ſaltem, qui in adyta Philoſophiæ, & Anatomes, penetrarunt altius. Nempe *dum frontalis muſculus in Embryone cerebro cohæret, mollibus membranulis quæ loco oſſium ſunt, meningibus ſuperinductis adjacens; eadem illi ac cerebro & meningibus ſtructuræ ratio eſſe debet. Etſi autem fœtu adoleſcente externæ internæque membranæ ferruminatis ſenſim oſſibus invicem deducuntur, nativam tamen ſtructuram in adulto perpetuo retinent. In fronte ergo cujus ſtructura meningum & ipſius cerebri ſtructuræ reſpondet, non ſolum figura, amplitudo, & æqualitas, ſed potiſſimum rugæ Metopoſcopis attendi debent, ab actione muſculi frontalis oriundæ, num æquabiles ſint & rectæ, vel inæquales, & interciſæ, vel paucæ, & minus profundæ. Ex his autem ſolidarum cerebri partium ſtructuram deprehendere licet, eo potiſſimum loco, ubi ſedes eſt Animæ, quæ licet ad edendos membrorum motus, totius cerebri organo utatur, officinam tamen cogitationum prope frontem locatam habet, qua incaleſcente meditationis contentionem laboremque, qua rurſus libera & ſerena mentis agilitatem feracitatemque nos paſſim & ſtudioſi omnes experimur.* Nolo hæc omnia mea facere, ſufficit ex prolatis innotuiſſe non mirum haberi debere, quando ſublimioris ingenii hominibus vultus id exprimit, nunquamque otioſum animum actione muſculorum ſuorum peculiari denotat.

XIV.

XIV.

Nunc cumulatis quaſi omnibus viribus, & argumentorum agmine, in fugam agere animam, & annihilare aggreditur Auctor. *Si non concedatur*, inquit, *partem cerebri cogitare, cur quando acrius & attentius cogitamus omnis ſanguis commovetur? ex effectu ſane cauſa apparet. Si per tenſionem nervorum calor & febris excitatur, & intellectus turbatur; ſi intellectus nimis fatigatus corpus peſſundat; Si titillatio nervorum me facit velle, meque cogit deſiderare ardenter, id quod momento antea negligebam & repudiabam; ſi certa diſpoſitio cerebri excitat eundem pruritum, eadem deſideria, cur duplum facimus quod ſaltem ſimplum eſt, & unum? Perperam hic recurritur ad imperium voluntatis, corpus enim tantum obedit, quam diu eſt ſanum, & adſunt ſpiritus & ſanguis; paralyſi præſente id imperium nil juvat, neque ardentiſſimum velle inſtaurat exhauſtum ab Amica Amaſium.*

* * *

Omnia hæc tela, quæ tanto impetu & conatu, tantaque fiducia vibrat Auctor, nil derogant exiſtentiæ animæ ſatis hactenus demonſtratæ. Si vero exiſtentem animam poſuerimus unitam ſuo corpori; ſi deinceps animam ſibi repræſentantem hoc univerſum pro ſitu corporis organici, & mutationibus quæ in organis ſenſoriis contingunt, eadem vi actiones ſuas producere ſciverimus; Si omnes mutationes animæ a ſenſatione originem ducere, facultatibus ejus ab ima usque ad ſummam conſideratis, intellexerimus; Si

nervorum ſyntaxin a qua omnis ſenſatio, omnisque motus partium pendet, per totum corpus organicum ejusque omnia fere puncta diſtributum contuiti fuerimus, nil morabimur intricatas & nodoſas ab Auctore habitas objectiones. Una difficultas latet in ignoratione modi, quo Anima corpori unitur, ad quam explicandam diverſa ſyſtemata excogitarunt Viri graviſſimi; ex quorum principiis mutationes reciprocas, a corpore in animam, & ab anima in corpus proficiſcentes, conſpirationemque harmonicam, vel influxum utriusque diverſæ adeo a ſe invicem ſubſtantiæ, deducere conati ſunt. Verum ſi nova iterum condat Poſteritas literata, de qua quidem re nullum mihi dubium eſt, latebit puto hoc myſterium intelligentiam humanam, cui nil perſpicitur accurate, quam quod ſenſuum miniſterio cognoſci poteſt. Egregie prorſus LANCISIVS in ipſo diſſertationis de ſede animæ cogitantis principio: *Cogitantis animæ*, ait, *vim & facultatem explicare cupienti opus eſſet extra ipſam animam alicubi conſiſtere, unde illam conſpicere & intueri liceret, quemadmodum ducta ab Oculo ſimilitudine* PLATO *diſſeruit, oculus inquiens ſeipſum ſi videre volet in oculum intueri debet, proinde etiam anima ſi ſe ipſam noſcere volet, in animam intueatur oportet.* Hoc vero dum debili & luſcæ mortalium aciei vetitum eſt, valde eſſe ridiculum & pene abſurdum autumo, limites ſui intellectus nolle agnoſcere, rerumque eſſentiam & exiſtentiam eapropter negare, quod humana perſpicacia non attingantur, & concipi nequeant. Abeſſet ſine dubio maxima pars eventuum & effectuum naturalium, ſi ea omnia exiſtere deſinerent, eſſentiamque ſuam ponerent

nerent & immutarent, quorum exiſtentiæ principium rationis ſufficientis hominum ſcientiam fugit, quod ſæpe ubi poſſidere tuti gloriamur & lætamur, nubem pro Junone amplexi ſumus, delente tandem opinionum commenta die.

Quid vero evincit Auctor ſuo argumento quod cogitanti ſerio omnis ſanguis commoveatur? nil opinor aliud, quam dari harmoniam certam cogitationum animæ & motuum corporeorum, ob unionem utriusque ſubſtantiæ, cujus modus omnino nos latet. Sumamus abſtractiſſimis meditationibus vacare animam quandam eruditiſſimam, ultra quas nulli alteri aſſurgere liceat, illa ponunt intentam judicii vim & ſevera ratiocinia; ſed hæc deſcendunt tandem ad imaginationem; imaginatio indiget ideis vel præſentibus materialibus & ſenſualibus, vel reproductis utrisque; horum ortus in cerebro; ſed cerebro alligantur nervi; a nervis autem eorundemque conditione mutata mutatur actio cordis & arteriarum. An ergo mirum adeo quod cogitationes ſublimiores etiam & a primis perceptionibus remotiſſimæ, ſi diuturnæ & laborioſæ fuerint, mutent motum cordis & arteriarum, ita ut toto fere corpore ſentiatur vividior pulſatio & frontis incaleſcentia naſcatur: an exinde ſequitur animam ſaltem eſſe inanem terminum? Porro: hæreat in inteſtinorum canali rodens acre; ſerpat irritatio ab iis ulterius, & adſcendat ad cor, cui nervi ab eodem principio; (par vagum nempe & nervus intercoſtalis æque largiuntur ramificationes ſuas cordi ac inteſtinis;) contrahat ſeſe irritatum cor fortius & celerius; accendatur febris, ſit doloris ſenſus in inteſtinis tantus ut turbetur ſenſorium commune cerebrum;

rebrum; ardeat febris tanta ut abacta aqua ſanguinis globuli rubri condenſentur & compingantur in phlogiſticam diatheſin, cruorque inflammatorius obſtruat canaliculorum encephali apices, & per libera adhuc meningum vaſa rapidus & velox volvatur; oriatur delirium, & ſuffocetur intellectus, turbeturque paucis anima in ſuis operationibus; An eapropter eam jure negaverit aliquis, qui ſciverit intellectum ſequi diſpoſitionem cerebri, atque ejus legitime conſtituti ope oboriri idearum diſtinctionem, claritatem, ordinem, nexum, nec poſſe in hoc mundo ratiocinari præſtantiſſimam animam, niſi unitam corpori, atque miniſterio cerebri. Cur vero intellectus nimis fatigatus corpus peſſundat? dicam breviſſimis; quia laborare ſecum cogit cerebrum & nervos; & in corpore humano unum tandem eſt liquidum ultimæ elaborationis quod ſentit, quod movet, & quod nutrit. Jam exerce lucubrationibus in ſeram noctem animam, & exhauri nervorum nobiliſſimum fluidum, dolebis motus omnes languidos, ſenſusque obtuſos, videbisque ſenſim luridum in vultu pallorem atque in toto corpore oſſulentam maciem.

Mira autem res eſt a ſola nervorum tenſione oriri velle noſtrum & nolle. At vero penſitandum eſt, a titillatione & tenſione nervoſæ fibræ minori excludi pruritum gratum, & voluptatem; a paulo majori naſci dolorem, qui tenſione ad rupturæ metum adſcendente, evadit acutiſſimus, & intolerabilis. Diverſus hic ſtatus unius, ejusdemque fibræ, modo cum grata perceptione quam appetimus & cujus durationem exoptamus, modo cum ingrata, quam faſtidimus, & omni modo abeſſe cupimus, conjungitur eundemque tenſio-

tenſionis gradum conſtanter ſequitur idem ſemper delectamentum vel faſtidium. Ex his liquet clariſſime, appetentiam & averſationem phyſicam in Anima nullam dari, niſi prægreſſa fuerit ſenſatio, quæ vel actu præſens eſt in cerebro commoto ab affectis organis, vel in eodem vi imaginationis reproducitur, & reminiſcentiam percepti olim grati vel ingrati involvit. Indiget itaque & hic iterum Anima cerebro, neſciretque prorſus gratum & ingratum, hocque cynoſuram voluntatis & noluntatis conſtituere haud poſſet, niſi corporis ſui nervorumque ejus miniſterio ideas voluptuoſas & doloroſas obtinuiſſet. Nulla vero in cerebro mechanica voluntatis & noluntatis productio. Id quam maxime patet quando volitiones noſtras, & tædia noſtra, non ſolus determinat ſenſus & idea cum eodem juncta, ſed quando velle noſtrum & nolle imperio intellectus ſubjicitur, ut decet. Scilicet phyſicum bonum & malum morali toties e diametro contrarium, ſi unice appetimus ſenſui tantum obedientes, exuimus hominem, & bruta evadimus bipedia, nam in hoc bono & malo ſenſuali bruta acquieſcunt, indeque omnis eorum appetentia & averſatio. Longe autem aliam viam ineundam ſuadet ratio, cujus conſilia a machinæ motibus haud pendentia, potius ſæpiſſime motubus & perceptionibus ab ea oriundis contrariantur & renituntur; hominique præcellentiam ſuam impertientia, eum ab animalibus ſe inferioribus ſejungunt, & ſi quid video luculenter edocent, neutiquam ex inſtinctu quodam materiali corporeisque legibus voluntatem rationis fræno coërcitam & directam deduci poſſe, ſed ab alio principio a corpore diſtincto repetendam eſſe.

Tale

Tale rationis imperium in voluntatem omnino datur, daturque etiam imperium voluntatis in certos corporis motus, quod Auctor noſter perperam eapropter negligendum vult, quoniam corpus obedire ſaltem obſervatur, quam diu ſanum eſt, & ſpiritubus atque ſanguine abundat. Vix digna eſt confutatione, miſera & ſterilis objectio, ſed ferax tamen meditationum, quæ graves toleratu Auctori futuræ ſunt, quasque perſequerer ſtrenuus & lubens, niſi æger ego viribusque orbus & nimis intentus operæ gravari caput & dolere perſentiſcerem, de Animæ cum corpore arctiſſimo connubio conviĉtiſſimus. Linguam ergo tantiſper hanc telam, donec renovatas parumper animi & corporis vires perſenſero, & dum alterna amant Camœnæ, arripiam ſecurum meum, & raro fallens anodynum pharmacum, quo delinitas olim toties curas meas perſenſi, derelictam diu per practicas turbas dulciſſimam teſtudinem, quam redamare cœpi ardentius, ex quo tantum Virum Summum BOERHAAVIVM feſſum ejus concentu animum recreaſſe ſolitum fuiſſe, ex Oratione in obitum ipſius habita intellexi. En præſto eſt! dignum certe quo ipſe canat Apollo, hoc Muſicum inſtrumentum! At bone Deus quid mali ſubeſt? hæreo certe an faſcinum accuſare, an magico carmini culpam deferre debeam; poſuit omnem obedientiam fidiſſima teſtudo, atque quis malus genius rebellem mihi & adverſam amicam reddiderit, ingenuus ignoro. Opto, cupio, volo, & præfracte volo, idem artifex, qui canere nondum dedidici, ut dulciſſimum melos quo delector auribus blande mulceri ſuetis obverſetur, ſed fruſtra. Qui antea repetiti placuerant ſuaviſſimi pulſus, quando

do mitiſſimo digitorum tactu, preſſu, tremore, ſonos effingebam querulos, gementes, vibratos, exultantes, ſeſeque invicem amabili ſucceſſu in fugam agentes, ingrati ſtrident, raucitant, a ſe invicem abhorrent vel tacent prorſus. Quam in deliciis habui tonorum vel monodiam, vel cum intermediis, profundioribus, altioribus, harmoniam, quem ſilens & quietus miratus ſum concentum, ordinem, nexum, varietatem, amicitiam, vel reconciliatum ſubito diſſenſum, non percipio amplius, ſed moroſum confuſumque murmur auſcultantem offendit. At aëris injuriis expoſita hactenus teſtudo mea & jactata hinc inde, variasque mutationes paſſa vere ægrotat, hincque eſt quod ſua detrectet officia. Video chordarum connubium quod invicem alunt ſublatum prorſus, quædam rigidæ nimis ſunt & tenſæ, aliæ plus juſto relaxatæ, ſentio hinc inde nodulos, qui toni propagationem præpediunt, aut ſtridulum eum reddunt; aliæ lævorem ſuum poſuere, & aſperitate peccant; alias ſiccas, nimis oleo quod adhærere debet, deperdito offendo; illa contractilitate & elaſticitate naturali exuta languet, hæc diſſiliit & abrupta eſt. Ipſe locus ubi alligantur omnes, ubi ſoni tanquam in centrum collecti confugiunt, contraxit vitium, vulnus video ſed non abſolute lethale, forte etiam intus latet aliquod occultum malum. Gaudeo quod corporis habitum externum cæteroquin ſanum deprehendam, daboque ſedulo operam, ut Medici manibus offeratur, bona ſpe fretus interim cum meam artificis integritatem facultatemque ſuperſtitem animadvertam, unionem noſtram organiſmo teſtudinis nondum deſtructo perduraturam confidam, fore ut propediem ſanitate ipſi reddi-

reddita, dulciſſimo & puriſſimo modulamine, mihi meisque placeam.

Redeo citius quam putaram ad ſtudia! at vero præter expectationem, quis enim hoc credidiſſet, ipſa mea teſtudine in quam pleno affectu feror, melius illuſtravi Veritatem impugnatam ab Auctore, quam is adſtruxit ſuam hypotheſin argumento ab exantlatis viribus vel ſcortatoris, vel amatoris elumbis deſumto. Ceſſit jure caſtiſſimæ Melpomeni laſciva Venus. Paucis nunc miſſo licet minus claudicante ſimili, rem ipſam contuear. Sit anima immutata, ſit tamen ſi ita loqui fas eſt corporis ſui interventu huic mundo alligata, legibusque a conditoris voluntate pendentibus circumſcripta; ſint in corpore chordæ nervoſæ, per quas unio cum corpore ſeſe exerit, quibusque anima ad omnes ſuas operationes opus habet, præter naturam conſtitutæ, vel ſtrictæ nimis, vel relaxatæ, vel compreſſæ, vel & abruptæ; peccent liquida quæ ipſas humectant, & imbuunt penuria, vel immeabilitate; ſit partium internarum externarumque parenchyma læſum, ſit cerebrum cui alligantur omnes nervi, obſtructum, compreſſum, vulneratum, inflammatum. An mirum eſt quando una eademque manente anima functiones ad ipſam ſpectantes, quibus tamen corpus famulatur, turbentur omnes, motusque in quos alioquin abſolutum ipſi jus eſt, non ex ejus voluntate ſuccedant, inſtrumentis motuum vitio affectis. An mirum ſi ſenſationes pervertantur, ſi imaginatio & ratiocinatio idearum tumultu concitato vel ſuſpendatur, vel ab ordine & nexu deflectat? an mirum ut Auctoris quoque genio ſatisfiat, quando profuſis juſto liberalius genitalibus theſauris, viribusque

ad

ad actionem muſculorum neceſſariis nunc exhauſtis, vir deſinit; juſſaque petulantis & hircientis animi antea capeſſere negat elumbe corpus, quam ubi alimentorum evchymorum apparatu inſtauratum eſt cum nervoſo latice, amoris promptuarium.

Sed de Voluntatis ſumma auctoritate in Corporis Machinam ſanam fuſius pauliſper, & ſerio quædam ſubnectere juvat, non inutilia ſcitu futura iis, qui hæſitare poterant in lectione argumentorum Auctoris. Notum eſt communi Medicorum conſenſu, motus omnes quotquot in humano Corpore obſervantur, diſpeſci in vitales, naturales, & animales. Atque hi equidem omnes ſuccedunt ſecundum leges mechanicas, iis vero ſolis obedire vitales & naturales, & in hos utrosque animæ ne tantillum eſſe imperii, quicquid etiam nonnulli contradicant, experientia quemvis illiteratum hominem edocet. Namque nec cordis motum vel accelerare vel inhibere, nec ciborum coctionem promovere, nec ſecretiones moderari, nec nutritionem corporis juvare, omnibus ſuis facultatibus poteſt Anima humana. Dari vero etiam motus in corpore vivo eadem ratione quidem per mechanicas rationes ſuceedentes, ſed liberrimæ Voluntati & deliberato arbitrio prorſus ſubjectos, non minus unum quemvis intima convictio certiſſimum reddit, ut univerſali experientiæ contradiceret, qui ea de re dubitaret. Deinde infallibilibus experimentis conſtitit, muſculis voluntatis imperium agnoſcentibus nervos ſuos eſſe a cerebro, cum hoc preſſo ſubito oriatur apoplexia, & exempto omnes motus voluntarii ceſſent ſuperſtite motu cordis, reſpirationis, inteſtinorum periſtaltico, ſeu vitalibus & naturalibus, qui vero etiam extinguuntur, ſi cere-

bellum compreſſum, læſum, aut exemptum fuerit, unde conſtat partes functionibus vitalibus & naturalibus ſervientes nervos ſuos a cerebello mutuari. Jam cum vitalibus & naturalibus utpote involuntariis, mihi res non eſt, ſed animales ſaltem inquirendi quanam ratione perficiantur. Scitur ex Anatomicis & phyſiologicis omnem muſculum agere ſui contractione, atque habere ſuum antagoniſtam, inter antagoniſtas autem ſeu muſculos ſibi oppoſitos e. g. inter flexores & extenſores conſtans dari æquilibrium, ut neuter contrahatur & agere queat, niſi in uno naſcatur exceſſus virium reſpectu alterius, & in hoc altero, virium defectus, reſpectu illius. Dato vero ſuperpondio virium in extenſore, hic ſe contrahit & extenditur pars flexorque laxatur; aucta vero potentia flexoris, contrahitur flexor, flectitur pars, & extenſor laxatur. Arduum vero ſatis explicatu hoc negotium eſt, quod per omne corpus ita evenire obſervatur muſculis voluntariis omnibus cum intuitu motus ipſius, tum intuitu arbitrii motus. Nemo ſolvet ſpinoſum hoc problema, ex naturali contractione, quæ fibris omnibus muſcularibus propria eſt. Optime dixit BOERHAAVIVS *) *Voluntarius motus diverſiſſimus eſt a motu naturali fibræ muſculoſæ, ab eo nempe renixu, quo in brevius ſe colligit; Nam ea vis ſupereſt in membro reſoluto, & augetur a morte, quando motus muſcularis omnis deſtructus eſt.* Deinde vero ingens robur muſculorum quod ex ponderum geſtatione æſtimari debet, minus legitime explicaretur, ex hac contractione fibris naturali, quæ leviſſimo pondere ſuperatur. *Pondus* quippe aſſerente Illuſtr. HALLE-

*) Prælection. Vol. III. pag. 337. 338. 339. 340.

HALLERO *) *quod vivus muſculus elevat, mortuum divellit & lacerat, atque adeo contractili vi inſita ejus ipſius muſculi majus eſt, a quo tamen vivo elevatur.* Adeoque in fabrica & parenchymate muſculi non erit quærenda cauſa motus, multo minus cauſa libertatis motus. Præterea vero cum nullus in corpore humano ſano inveniatur voluntarius muſculus, qui non poſſit omni temporis momento quieſcere & moveri, ita ut perinde ſit ſive hoc ſive illud eveniat, a virtute contractili inſita non poſſe pendere motum apparet clariſſime, hæc enim ſemper omnibus fibris muſculi ineſt, ſi igitur ab ea procederet motus, oporteret muſculum perpetuo contrahi. Quia igitur in muſculo ipſo motor non latet, aliunde omnino advenire, & introgredi debet muſculum, per quas vias nunc videamus; ſemper tamen memores ſimus, ut cauſa inventa, ſimul cogitemus an motus arbitrium ea ſimul explicet, an minus. Vadit ad omnem muſculum arteria, hac vero ligata perit pars potentiæ ad motum, gangrænoſo tandem eo reddito, ergo tuto concluditur ingreſſum ſanguinis arterioſi requiri ad omnem motum muſcularem, atque quam maxime eapropter, quod muſculus movendus nutritionem ſui, adipemque ſecretum præſupponat, quod ipſum ab arteria præſtatur. Verum præter rem omnem motum tribueres arteriæ, minusque recte inde deduceres libertatem. Eadem nempe manente cordis actione idem perdurat ſanguinis influxus in arteriam muſculi, ſucceditque hic æquabiliter per totum corpus, pro arteriarum diſtributione in partes. Quodſi igitur ſufficeret influxus cruoris arterioſi motui muſculo-

*) in Phyſiol. §. 409.

ſculorum, æquales in omnibus contingerent motus, aut ſaltem ſequerentur copiam influentis ſanguinis, reſponderentque numero & magnitudini arteriarum ingredientium. Deinde cum certis legibus obnoxium ſit cum arteriis cor, iisdem non minus ſubjicerentur movendi muſculi, qui tamen neutiquam ſecundum determinatas leges agunt contractionisque in corde robur & celeritatem exacte ſequeretur robur & celeritas contractionis in muſculis, quod minus obſervatur: inſuper cum muſculi de quibus loquor voluntatis imperio ſint ſubjecti, deberet & omnino eidem ſubjici primus eorum motor, ſed in cor nullum voluntati imperium, ergo motus muſculorum voluntariorum non ſubjacet cordi, & arteriis ſanguiferis. Taceo plures muſculos & membranas muſculoſas albidas nulloque ſanguine rubro irriguas, in quibus tamen valide & perpetuo motus ſuccedit. Reſtant igitur ſoli nervi! Omne Parenchyma muſculi a nervis in fibras muſculoſas abeuntibus; a nervo preſſo, ligato, diſſecto, ſtatim impotentia muſculo ad motum ſeu paralyſis; a puncto vel quavis ratione irritato convulſio; ergo ſine dubio a liquidi nervoſi appulſu & influxu naturali in muſculum, ejus exoritur motus. Quoniam vero cerebro læſo læduntur omnes motus voluntarii, influxus hic ab ipſo cerebro ſalvo, per nervum in omni ſuo itinere ſalvum, usque in ipſum muſculum, debet ſuccedere. Apparet ergo motorem muſculorum voluntariorum eſſe cerebrum, non autem aliter, quam quatenus protrudit nerveum fluidum in illum nervum, qui implantatur muſculo movendo. An autem vere ea cerebro vis, ut moveat fluidum nerveum? an eam habet

propri-

propriam, an eam aliunde mutuatur. Sane in cerebro motus omnis valde languidus & tranquillus, omnisque *nervoſi* fluidi ſecretio & ingreſſus ſecreti in medullaris ſubſtantiæ minutiſſimos tubulos, ex arteriolis corticalibus emergentes, blandiſſimaque propulſio per nervos ex medullæ filis in faſciculos collectis, & dura piaque meninge involutis, enaſcentes, unice pendet a vi molli arteriarum duræ piæque meningis, ſed hæc debetur actioni cordis.

Nulla ergo cerebro vis motrix quæ propellendo liquido nervorum ſufficeret. Quando igitur hoc fluidum protruſum cordis & arteriarum encephalicarum æquabili & communi virtute diſtribuitur per omnes nervos, & per omnes muſculos, eadem ratione ac antea de ſanguine arterioſo dixi, æquales ubique contingerent & contractioni cordis exacte reſpondentes motus, in omnibus muſculis, ſi ſoli deberentur influxui liquidi nervoſi, ſecundum determinatas ſuas mechanicas leges ſeſe habenti. Namque hoc principio aſſumto, liquidum nervoſum a communi origine ſua omnes muſculos vi cordis alluens æquali fluento, efficere debet, ut quantum aliquis muſculorum in ſui contractionem ſuumque motum nititur, tantum renitantur reliqui, quibus eadem eſt a nerveo fluido agendi poteſtas, nullusque eorum mutationem a corde inductam experietur, ut altero evadat valentior. Ita autem poſito inter nixum & renixum conſtanti æquilibrio nullus ſequetur motus, ſed omnimoda potius quies minimum ad ſenſum, nullaque mutatio loci in partibus, quando ſibi oppoſitæ ſimul agentes potentiæ æqualibus inſtruuntur momentis. Unde igitur demum motus muſculorum, quando

omnia in muſculo adſunt, quæ ad motum requiruntur, hoc tamen nihilominus non ſuccedente. Mira res eſt, nititur natura ſua ad contractionem muſculus, plenus eſt advecto cruore, dives eſt affluente nervoſo liquido, & quieſcit tamen atque perſtat immobilis. Certum eſt hæc omnia requiri & abeſſe non poſſe, attamen non ſufficere motui, ſed accedere debere cauſam copioſius in unum muſculum determinantem id liquidum, quod motum præſtat, ut tollatur æquilibrium, & vis hujus reddatur ſuperior vi alterius, ſed hæc cauſa ſequi debet arbitrium voluntatis. Quænam ergo hæc? an corde ad hoc negotium minus idoneo, an cerebro iisdem legibus motuum quas cor præſcriptas habet prorſus ſubjecto, in dura matre forſan pro corde cerebri & nervorum habita, & ſingulare imperium ſine limitibus, nec cordi arteriarum, nec alii ſuperiori ſubjacens exercente in nervorum provincias, collocanda erit eminens illa quam loquor poteſtas. Dixi autem quæ de duræ matris motu ſentiam, neque ut controverſiæ deturne ille an minus me immittam ſinit inſtituti ratio; detur vero ille, qui vere non datur, erit ſine dubio etiam mechanicus, & ſi talis fuerit, ipſe habebit in ſe rationem cur ſic magis procedat quam aliter, adeoque omnibus motubus ab hoc ſuppoſito ſummo elatere pendentibus, determinati erunt actionum ſuarum limites, liberrimo arbitrio movendi muſculos quod omnes experimur repugnantes. Circumſpicienti igitur ſollicite & perquirenti omnes corporis receſſus nil offenditur quod indagationi ſeriæ ſatisfaciat!

At vero eane mihi erit ſupina ſocordia, ut commemorare negligam HIPPOCRATIS Patris & Auctoris

ctoris noſtri ενορμουν, forte omnes offenſionis lapides remoturum feliciter. Notum eſt Medicis HIPPOCRATEM de partibus corporis humani diverſimode conſiderandis loquentem proponere ισχοντα, ενισχομενα & ορμουντα *). Multum ſemper ſive naturalem ſive præternaturalem ſtatum humanorum corporum reſpicias, HIPPOCRATES detulit Aeri, huncque adeo motus corporis moderari credidit, eaque propter etiam fluidum nerveum ſeu ſpiritus aëreæ habuit indolis. Quod ſi ergo ενορμουν HIPPOCRATIS fluidum nervorum aëreum eſt, vi eorum quæ in antecedentibus expoſui, patet facile, id ενορμουν pro cauſa determinante exceſſum virium in muſculum, quam indagamus, & detegere avemus, haberi non poſſe. Sunt vero etiam graviſſimi Viri qui HIPPOCRATEM hoc vocabulo aliquid ſeparatum in corpore intellexiſſe, voluntatemque hominis, imo vero Animam eodem indigitaſſe contendunt, interque eos facile Princeps ipſe Illuſtris BOERHAAVIUS. Exſtat elegantiſſimus locus minime Auctori noſtro amicus in ipſis *Prælectionibus in inſtitutiones* **), quem ruminet ſi placet, digniſſimum, qui totus excerpatur. HIPPOCRATES πνευματος *nomine perpetuo intellexit fluidum, quod ſenſibus equidem demonſtrari non poteſt, & vires tamen magnas exercet, quale Ventus eſt. Et quando diviſit corpus humanum in partes continentes, & contentas, &* το ενορμουν, *tunc ſpiritus inter contentas numeravit, animam vero habuit pro* τω ενορμουντι. Et alibi †) *apud* HIPPOCRATEM, inquit,

*) Epidem. VI. ſect. 8. p. 1199. edit. foëſ.
**) ad §. 291. †) ad §. 408.

inquit, *το ενοϱμουν quod impetum facit non eſt Natura, (complexus cauſarum motricium in corpore,) ſed voluntas. Galenus olim aliquam incorpoream cauſam quæ muſculos inſlaret, propoſuit, repetitam ex τω ενοϱμουντι* HIPPOCRATIS. *Noſtris etiam temporibus magni Viri exſtant, qui non aliud eſſe volunt το ενοϱμουν, quod muſculos movet, præter efficacem voluntatem. Non repugno quod Anima motus muſcularis ſit prima motrix, id volo, hanc animæ actionem in ſolo ſenſorio communi exerceri. Sed in ipſis muſculis neceſſe eſt acceſſiſſe & voluntatem, & cauſam corpoream quæ primo defuerat. Το ενοϱμουν autem quod immateriale eſt ignoramus, cum neſciamus qua ratione nos Deus fecerit.* En geminam hujus vocis interpretationem, facile ſi opus foret, ac niſi unus inſtar omnium ſufficeret BOERHAAVIVS, omnium Commentatorum Operum Hippocraticorum aſſenſu corroborandam, quæ ſin minus fuerit ad palatum Auctoris, non eſt quod ægre feram. Certiſſimum eſt, illud impetum faciens quod muſculo jam per circulationis leges ſpiritubus pleno ſuperaddit largiorem eorum copiam, ut ſuperet Antagoniſtæ virtutem, in tota corporis machina non inveniri; ſed accedere ineffabili celeritate nulla diviſione temporis menſuranda, ex nutu Animæ, eo momento quo vult, & in eum præciſe muſculum quem deliberato conſilio, & liberrimo arbitrio, quod immutare ictu oculi citius valet, movere decrevit. Talis omnes limites, omnes leges ignorans libertas, & legibus motus enixe obedire coacta machina, quam diu machina eſt, in æternum non conciliantur. Lubens huc traho ea, quæ de fibra motrice & influente nervorum liquido, commen-

mentatus propoſuit Medicus inſignis, Mathematicus ſimul & Anatomicus machinæ humanæ ad minutias gnarus, Præceptor olim fidiſſimus WALTHERVS *). *Tot actiones*, inquit, *quas in viventibus omni fere momento celebrari videmus, nullis obnoxiæ menſuris, ſive temporis ſive quantitatis, ſua elegantia & libertate conſpicua omnem machinarum ſtructuram, omnem de materiatis potentiis conceptum eludunt.* Taceo plura, eaque lectu digniſſima quæ de inſufficientia fluidi nervoſi ad movendos muſculos, grandia pondera ſuſtinentes ſine concurſu Animæ habet Vir doctiſſimus; *materiæ ſoli tantam vim tribuentes ex culice elephantos facere* aſſeverans. Omnia autem hæc clarius multo & ſolidius explicat Illuſtr. HALLERVS **), qui expoſito motu muſculorum, tandem *his*, ait, *omnibus diſpendiis computatis, apparet vim quæ a muſculis in actione impenditur valde magnam eſſe, & ab omni mechanica actione remotam, neque videtur aliter explicari poſſe niſi per incredibilem celeritatem quæ ad voluntatis imperium influxui liquidi nervoſi accedit.* Jam quærere aliquis poterat naſutulus, qua ratione volens anima ſi detur, ageret in cerebrum, aut ſi non ageret ipſa, quomodo ipſius juſſu ignota cauſa accelerationem nervoſi liquidi a nervi origine amandaret ad illum muſculum, qui contrahendus & movendus eſt. Abſumat fruſtra laboraturus in ſublimi inquiſitione pretioſum tempus, & ſcrutetur hoc qui volet, ego ſecurus id ad finem ſeculi acutiſſimos mortalium fideliter ignoraturos credo. Jactitet quilibet, & præferendum reliquis ducat ſuum Syſtema, quo unionem

*) §. 14. **) Phyſiol. §. 415.

animæ cum corpore intelligibili modo explicari poſſe reputat. Mihi ſufficit me demonſtraſſe clariſſime a poſteriori, motibus voluntariis non ſufficere Machinam, ſed requiri ad eos ens ab ea ſeparatum. Cæterum id notare adhuc debeo, vanum fore ſi forte Auctor non ad ſolum liquidum nerveum reſpiciens alia hypotheſi adoptata ex iis, quas condidere Viri Clariſſimi quidam, in explanatione motus muſculorum occupati, melius ſibi conſultum fore confidat; BORELLOque forte præeunte, quem ſane ob eximium librum *de motu animalium* non ſatis laudandum laudat, & LEIBNITIO multis modis præferendum vult, ſtabiliri poſſe motorem muſculorum prorſus corporeum affirmet. Nil refert certe; quodſi enim cum eo & cum BELLINO efferveſcentiam acidi & alcali, ſpirituumque & ſanguinis diſtendere fibras muſculi, & contractionem ejus proritare ſtatuat, vel ſpiritum nitroſum nervorum cum WILLISIO alleget, vel cum BERNOVLLIO ætherem in medium proferat, perinde erit. Stantibus enim omnibus his ætiologiis, quæ tamen ſeverius examinatæ ſtatim concidunt, ſaltem explicatur motus muſculi, id vero quod cauſam moventem liberalius ſolito in muſculum adigit & in illum præciſe qui conſilio prævio contrahi debet, in corpore ipſo ejusque fluidis & ſolidis exiſtere neutiquam probatur. Eadem ergo remanet in omnibus hypotheſibus difficultas inſuperabilis, niſi extra corpus primus motor collocetur.

XV.

Ictero laborantibus omnia flava apparent; quando iter bilis liberum reſtitutum eſt anima alios obtinet oculos, nil flavi amplius videt. Depoſita cataracta & reſerato canali euſtachiano anima videt & audit. Egregia illa anima & ipſius voluntas non poteſt agere niſi quamdiu diſpoſitio corporis id permittit.

*

* *

Hæc quæ profert Auctor, ſi alio fine dicta voluiſſet, nemo impugnaret, nam vera ſunt & veriſſima; quoniam autem argumenta animæ exiſtentiæ oppoſita debent ſiſtere, bona pace ipſius dixero, eadem valde eſſe invalida, & ne gravius quid dicam, puerilia pene. Conſentimus ambo in cerebro ejusque medulla abſolvi ſenſationum omnium negotium. Diſſentimus in eo, quod Auctor ibi conſidere ſtatuat corpoream ſuam & materialem animam; ego vero cum iis omnibus qui melius ſapiunt aſſeverem, ibi ignota licet ratione naſci Animæ incorporeæ & immateriali ſuas ideas, atque perceptiones objectorum externorum, beneficio nervorum. Inter Materialiſtas itaque & defenſores Animæ convenit, opus eſſe organorum ſenſoriorum integritate, & naturali conſtitutione, ut motus a corporibus externis organo inductus per nervum organi transferatur ad commune ſenſorium; hujus vero indolem & diſpoſitionem exacte ſequi perceptionem in cerebro, immutatisque adeo objectis externis tamen hanc mutari, ſi aliquid in organo fuerit mutatum. Jam ſi nato in ductubus hepaticis,

cyſticis, choledocho communi, obſtaculo, bilis quæ in inteſtina defluere debebat, regurgitet in ramificationes Venæ cavæ, atque delata cum ſanguine ad cor deferatur ad omnes corporis partes, ac eousque inquinet humores ſingulos, ut non albugineam ſaltem tingat, ſed in oculum interiorem usque penetret, ut imaguncula picta in retina flaveſcat, & flaveſcens ſiſtatur animæ corporeæ, vel incorporeæ, in cerebro; an argumentum inde ſurgit vel exiſtentem vel minus exiſtentem hanc vel illam probans? ego certe neutrum oborturum crediderim. Nimirum oculus ictericus ita & non aliter afficeretur ab objecto, atque dum æger eſt, aliam quam in ſtatu ſano mutationem pateretur, ſive exiſteret cerebrum ſive minus, ſive daretur Anima ſive non daretur. Anima autem exiſtens nullarum ex viſibilibus idearum capax ſi non exiſteret oculus, ægras ſi ita loqui licet adipiſcitur ideas, ab ægro, ſanas a ſano. Legibus quippe inſitis corporum naturalium, ſecundum quas agunt, non præfecit Animam Deus ſed accommodavit, directoriumque ipſi in eas nullum commiſit, ut ex arbitrio easdem immutaret, ſuæque voluntati reſpondentes efficeret. Eluceſcit interim & ex hoc phænomeno, eminens ipſius præſtantia, ſenſuum fallaciis haud afficienda, iisque ſibi imponi haud patiens: non poſſet aliter anima corporea & mechanica, cerebrum, quam ut flavam imaguncnlam ad ſe devolutam accipiens, huicque ideæ mechanica neceſſitate inhærens, & mechanice (ut per impoſſibile loquar) ratiocinans, externum objectum flavum haberet convictiſſima. Longe autem aliter ſeſe gerit Ictericorum omnium incorporea Anima, quæ eapropter tamen falli ſe non pati-

patitur, ſed non obſtante mendaci flavedine, ab ea abſtrahit, & corpora ſine ea ſibi repræſentare apta eſt, quin eousque procedit ut naturalium colorum gnara ſuis & propriis tincta nihilominus objecta ſe contueri ſibi videatur. Atque hæc quæ propoſui ſuffectura puto reliquis ab Auctore adductis, de viſu quippe per cataractam, & de auditu per euſtachianam tubam obturatam impedito dicere fuſius nil attinet, cum horum argumentorum levitas ſponte pateat ex iis quæ commentatus ſum. Quis enim, ſi vel per laternam magicam, quæ in ſuperioribus Auctori imaginanti placuit, picta in retina imago reflecteretur ad cerebrum, non requiri affirmaret, ut per lentem criſtallinam diaphanam libere agerent radii usque ad retinam, quæ pergere per lentem turbidam, opacam, cataracta laborantem nequeunt. Idem de libero acceſſu tranſituque aëris per apertum ductum Euſtachii valet. Nemó hactenus videre & audire Animam poſſe edixit, ſine Organorum Viſus & Auditus decenti & illibata conſtitutione!

XVI.

Nunc ſimilia illis quæ ſtatim in principio libelli ſcripſerat, adfert Auctor *Sanitatem Corporis producere ſanitatem Animæ, regimenque corporis formare animam ad cognitionem veritatis & exercitia virtutis: Sine legibus Hygienes præcepta Epicteti, Socratis, Platonis eſſe inutilia; a ſobrietate virtutes ab ingluvie omnia vitia promanare* aſſeverans.

Nullum

*

* *

Nullum dubium eſt, & millenis experientiis conſtat, diæta inſuper habita, graviſſimisque contra ejus regulas peccatis commiſſis, non ſaltem optime ſtructorum corporum ſanitatem peſſundari, ſed & vitio in animam migrante, ſordidis moribus ipſam inquinari, pravasque cupiditates excludi. Sique aliquis delicatum quem vocant, ſed corruptum rectius dicendum ſeculi genium contriſtatus adſpiciens, bonos, & juſtos, & laudabiles mores a priſtina integritate penitus deſciviſſe queratur; cauſasque cur ætas parentum pejor avis tulerit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem, rimetur ſollicite, non falletur me Judice, ubi maximam culpæ partem commeſſationibus & compotationibus ſtrenuis & quotidianis, Liberoque Patri omnium fere hodie Collegiorum, Conventuum, tribuumque præſidi univerſali detulerit. Quem enim ſobrietatis & frugalitatis ſtudioſum non offenderent menſæ, ciborum ferculorumque pompa, & multitudine ita onuſtæ, ut accubituris convivis farciendis & ſaginandis, quam ſatiandis, opprimendis quam reficiendis, magis pares videantur. Quis numeroſas illas tantæ capacitatis lagenas, quis illos fœcundos calices, quis mero ſpumantes pateras, quis impigris hauſtubus vacuandos cantharos, quis onere falerni manibus, quidni cerebro graves futuros, græco tamen more ab imo ad ſummum in ſalutem educendos crateres, quis immanes avarisque faucibus hauriendos cyathos, quis demum liberalem illum bibitorium apparatum cum diætæ legibus conciliandum reputaret? Cui fervens Ami-

Amicorum combibonum ſeſe mutuo ad conflictum vinoſum provocantium, ſibique ne gutta in fundo reſtitet præbibentium ſtrepitus, quos ſatis tinctos totosque madidos licet, medioque jam vino merſos, & tamen ſitientes, omnes Tantalos haberes; Cui inquieta & abeuntia per ſeram noctem in orbem pocula ne ſub manibus langueſcat merum, heroico auſu æſtuantibus jam faucibus infundenda; Cui generoſiſſimorum Vinorum Thaſio Veteri, quod 25. aquæ partibus diſtemperandum voluit HIPPOCRATES *), vel Maronitano ab HOMERO commemorato, admiſtis 20. aquæ partibus nondum injucundo reddito, potentiorum, portentoſa ingurgitatio ſanitati vitæque intemeratæ minus adverſa fingeretur? Rectiſſime edixit Medicorum aliquis primos hauſtus ſibi, alteros voluptati, tertios ebrietati, quartos inſaniæ tribui, iisque certe qui hodie Bachum redolent

corpus onuſtum
heſternis vitiis animum quoque prægravat una
atque affigit humo divinam particulam auræ.

Perſpexerunt hanc peſtem collaudati ab Auctore ſapientiſſimi Veteris ævi Philoſophi EPICTETVS, SOCRATES & PLATO qui tenui ipſe victu uſus & a vino abſtinens virtute præivit aliis, & longævitatem conſecutus eſt; atque Philoſophiam docturus PYTHAGORAS ante omnia ſobrietatis neceſſitatem inculcavit. Neque inficias eo, intemperantibus & compotatoribus ſaluberrima eorum præcepta ne hilum profutura; atque ſine his eos qui regulas SANCTO-

RII

*) de morbis III. §. 30.

RII & nobilis Veneti LVDOVICI CORNARI, Medicorumque diætæ juſtam rationem exponentium dogmata ſecuti fuerint, morum elegantia & decore illuſtres & conſpicuos evadere poſſe. Ipſe Parens artis HIPPOCRATES multum referre ratus *quali in corpore Animi locati ſint, diætæ regimine debito ſapientiam animæ comparari melioremque inde & deteriorem animam fieri* teſtatus eſt *) animadverteruntque ejus filii omnes a victus moderamine auream mediocritatem, & quæ ab ea ſuſtinetur ne in latera deflectat, virtutem, proficiſci? Non repugnabunt credo moderni Medici Illuſtri HOFFMANNO quando fluidum nervorum in vaſculoſa corticis cerebri ſubſtantia ſeparari ſolitum, materiem ſuam ex ſubtiliori & defœcatiſſima chyli, lymphæ, ſanguinisque portione mutuari contendit **). Id ſolus puto docet languor, torporque ad ſenſum & motum, quem inappetentia & inedia minusque legitime ſuccedens in ventriculi & inteſtinorum cavo digeſtio poſt ſe trahit; atque e contra celerrima virium refectio, vigor, alacritas, & facilis in motuum ſenſuumque exercitiis ſucceſſus, qui alimentorum evchymorum adſumtionem, coctionemque decentem in ſuis viſceribus, ac elaborationem ſuccorum animalium ultimæ perfectionis promptum ſubſequitur. Cum vero hujus ope fluidi commercium quod Animæ & corpori eſt, quomodocunque id ſeſe habere concipias, ſubſiſtat certiſſime; cerebrique officina, ejus ſecretioni vacet, ſecretumque nervis inſinuet, ſenſuumque abſolvendorum, geneſeos idearum, ac communicationis earum cum anima inſtru-

*) de diæta I. ſect. 32. 36.
**) Med. Syſt. Tom. I. p. 261.

nſtrumentum ſit, neque ad hæc opera eo liquido ca-
ere poſſit, ſtatim perſpicitur; quantam vim cibus &
ótus non ſaltem in vitam hominis mechanicam, ſed
: in eam qua hominem maxime ſe præſtat, a ſenſu-
us & imaginatione, ad intelligentiam usque, & ra-
ocinandi facultatem exerceat. Quis vero aſſereret
nam eandemque futuram ſecretionis rationem, in-
olem, craſin, motionemque nervoſi liquoris, ſive
uis hac vel alia utatur diæta, ſive ſobrietatis culto-
em ſeſe præſtet, ſive conviviis interſit quotidie, Bac-
hique ſordidum mancipium a ſummo mane, aut ſal-
em ſi nondum diſſipata fuerit crapula, prandium vix
xorſus in adultam noctem vino irrigetur. Ut igi-
ur inſtituto ciborum juſto delectu, a nutrimento
nodico blandoque ad cerebrum evecto, roſcida, lim-
ida, ſincera, liquido nervoſo ingeneratur temperies,
tusque ejus placidus & tranquillus redditur; ſen-
uumque integritas, alacritas, puritas ſtabilitur; ani-
nus tranquillus, quietus, compoſitus, præſtatur; mo-
um rectitudo, affectuum moderamen excluditur;
acultatesque mentis omnes juvantur, acuuntur, eri-
untur; ita qui luxurioſos Sibaritas & guloſos Lu-
ullos agunt, qui ventrem Deum colunt, paſtuque
mmoderato & abuſu ferarum & aromatum cupedia-
umque omnis generis delectantur, ſanguinem inde
æculentum, impurum, acrem, calidum, obtinent; ac
itio in ſpiritus tranſeunte eos depravatos, turbulen-
os, commotos nimis agilesque ac ſtimulis facile la-
eſſendos naneiſcuntur. Eapropter vero turbata ce-
ebri & nervorum naturali functione ſenſuum officia
btunduntur, deſideria, cupiditates, libidines, iræ, ri-
æ, naſcuntur, mitesque antea & tractabiles homines

efferatis intus affectubus tumultuantibus & exorbitantibus, moroſi, injurioſi, litigioſi, monitoribus aſperi, imperioſi evadunt, ingenium ſtupidum ac hebes redditur, intellectus omnis obnubilatur, habituque ſenſim contracto & excuſſo renitentis rationis fræno, in fœda vitiorum omnis generis colluvie animus volutatur. Si difforme eorum & abominabile ſimul ſpectaculum uno obtutu contueri, miſerosque vinoſitatis effectus oculis objectos quis velit, cœnaculum ingrediatur numeroſa compotorum, helluonumque grege repletum. Videas ibi qui jejuni occultas intus ſollicitudines verſabant, nunc facetiis, leporibus, jocisque diffluentes. Alii taciturnitatis laude alioquin conſpicui, quicquid in buccam venit loquaces effutiunt, ſecreta quævis propalant, diſceptationes ſerunt, & ardua quævis ac ultra captum extenſa decidere aggrediuntur. Illi hiſtrionum more tripudiationibus & geſticulationibus ineptis, adſtantes in cachinnos ſolvunt. Hi reddita ventriculi ſarcina male olent, ſenſusque & conſilii expertes ſuis immunditiis conſperguntur. Sunt qui odio & ira perciti pugnis ſtrictisque enſibus, vulnera & cædes meditantur. Audias mordaci lingua innocentum & proborum famam lacerantes, & reverenda religionis myſteria deumque ipſum blaſphemis ſalibus excipientes. Videas exuta omni verecundia & caſtitate, æſtuantes libidine, verbisque & geſtubus indecoris, belluarum inſtar, amabilem ſexum invadentes. Et quis omnes a ſola immoderata vini ingurgitatione natas ſubito hominum in bruta metamorphoſes enumeraret! Etſi vero liquorum ſpirituoſorum hauſtus Animam ipſam non perfundunt & inebriant, tamen Medicis non adeo

obſcu-

obſcurum eſſe poterit, qui fiat ut corpore iisdem largiter imbuto, & illius vires pervertantur, & concidant. Scilicet non ad ſitim reſtinguendam vitem viniferam deſtinavit Natura, ſed aquam eum in finem ſcaturire juſſit, atque inter pharmaca eademque generoſa nobile hoc potus genus potius referri debet, utpote nil in ſe continens, quod noſtris hominum humoribus analogum ſit, aut nutritioni corporis animalis inſervire queat. Ubi igitur alieno hoc liquido, quod ſua vi nervos grate vellicat, ac omnium fluidorum circuitum vegetiorem, celerioremque reddit, nimis vaſa repleta fuerint, exſtimulatis cordis & arteriarum villis actio eorum inſurgit, ſanguis fortius & celerius in orbem volvitur, rarefactione inducta caleſcit & æſtuat, febrisque pro tempore homini inducitur. Facit autem capitis vicinia, canaliumque encephalicorum mollior minusque impetui reſiſtens fabrica, ut ſanguis ſpumeſcens & turgidior cerebrum præcipue petat, cumque in eo motus ſecundum naturam exquiſitiſſima Conditoris arte ſit placidiſſimus, ſuccique ejus blandiſſimi, jam autem ille inſueta rapiditate in molles & pulpoſos canaliculos feratur, eosque ſuo impetu diducat, ſuaque mole oppleat & gravet, ac acribus fervidisque moleculis nervos irritet, & exſtimulet, cerebrique temperiem omnem graviter lædat; per rationes aliquoties adductas, mutatis & perverſis motibus per nervos ad cerebrum & a cerebro ad nervos deferendis, ſenſuum, imaginationis, rationisque functiones mirum quantum depravantur. Nam ut verba Cl. BERGERI commoda vitæ ſobriæ elegantiſſime exponentis mea faciam *quia animus in corporeo clauſus carcere ſine ejus adminicu-*

 lis

lis aut nihil aut exiguum admodum poteſt, cuivis patet, eundem ejus vitio impeditum & diſtractum minus ſe exerere poſſe, ac quaſi invalidum & pene inutilem evadere *). Taceo ne nimius evadam fervidam & prurientem ab impigris vini hauſtubus humorum exuperantiam, ignes occultos incendentem, ſtimulosque ad libidinem ſuggerentem, animo calcaria addentem, habenasque ipſi extorquentem. Efficit e contra frugalis vita merito a LVDOVICO CORNARO collaudata, *ut humores in corpore ſint puri & benigni, quo ſit* (condonanda hæc ſunt Optimo Viro) *ut non permittant fumos e ventriculo ad caput efferri. Unde ulterius ſequitur ut tali homini cerebrum ſit purum inſtar ſpeculi & mente ubique vigeat. Itaque facile ex infimis iſtis & terrenis ad divinarum rerum ſublimes adſcendit conſiderationes eaque cognoſcit, quæ alias nunquam potuiſſet cogitare. Videt turpitudinem vitii, in quod cadit is qui affectus nequit domare.*

XVII.

Omnia Pathemata Animi explicari ſe patiuntur per ενορμοῦν *Hippocratis. Homo eſt congeries elaterum ſitu & virtute differentium, mutuo ſe in ſua actione juvantium. Dici autem non poteſt ubi motum eorum in circulum abeuntem Natura inceperit. Anima vero nil eſt niſi principium movens, ſive pars materialis ſenſibilis cerebri, quod tanquam principem elaterem in machina concipere licet reliquos excitantem, & primo omnium factum, ut infra ex obſervatis in embryonibus clarius evadet.*

Firmi-

*) diſſertatione de commodis Vitæ ſobriæ §. 13.

* * *

Firmiter perſuadeor, omnibus his ſatisfactum eſſe in antecedentibus. Conſtitit ſatis ex iis quæ adſtruxi, animi pathemata & actionum moralitatem repugnare machinæ, nec poſſe explicari per ενοϱμουν. Si calculum ſuum meis adjicere renuat Auctor, en cogitanda ipſi trado, quæ elegantiſſime ſcripſit Cl. HALLERVS: *Aliam naturam animæ eſſe a corpore, infinita probant, maxime ideæ & affectiones animæ quibus nihil in ſenſu reſpondet. Quis enim ſuperbiæ color, aut quænam magnitudo eſt invidiæ? Poteſtne corpus ita duplices vires adipiſci ut ejus infinitæ particulæ in unam maſſam coaleſcant, quæ non ſuas affectiones ſolas conſervent, ſibique repræſentent, ſed in unam communem totalem cogitationem conſentiant, quæ ab omnium differat attributis omnia tamen ea attributa recipiat & comparet? Eſtne aliquod exemplum corporis quod absque externa cauſa ex quiete in motum tranſeat, motus directionem absque occurrente alia cauſa mutet, reflectat, ut in anima facillimum eſt obſervatu* *). Hæc de Anima notet, & de ejus paſſionibus. Jam ſi vitam ſolam hominis ſpectaverimus, eam congerie elaterum conſervari, conſentientibus doctiſſimis in arte viris ſtatuere licet. Cerebro quoque & cerebello ad omnes motus opus, quia nullus ſupereſt utroque deleto, idem de omnibus ſenſubus verum, qui tum demum oriuntur quando nervus affectus afficit & attingit cerebrum quo ſine darentur nulli. Si vero ibidem principem elaterem conſtituere volupe fuerit, juvat omnino perpendere eum a ſe ipſo neutiquam actuari, ſed ſubordinatum eſſe actioni cordis quod ſo-

*) Phyſiol. §. 556.

lum propellere liquidum nervoſum in omnium partium muſculoſarum & in ſui ipſius uſus Phyſiologi moderni demonſtrant omnes. In dura Matre ſi elaterem vellemus ponere cum BAGLIVO falleremur vehementiſſime. Auſus is eſt aſſerere *ſubjacere ipſi motum cordis* *) ſed paulo ante profeſſus erat *hoc ob liquidum in partes ſanguineas expreſſum particularem ſuper iis poteſtatem & a cerebro indepentem habere* **). Atque quando BAGLIVVS de moderamine meningis oſcillantis in fluidum nerveum, deque dura matre ſolidorum corporis domina verba facit, dubius ſemper hæret utrum cor magis indigeat dura matre vel contra. Quodſi vero etiam omnibus his arreptis coloratam magis reddere ſuam hypotheſin laboraſſet Auctor, tamen Animæ exiſtentiam non deſtrueret, quam bonus Baglivus certe impugnare nullibi voluit. Vere autem arteriis per eam ſerpentibus vique cordis ſubjectis ſaltem mota dura mater non movet ipſa, nec ſentit, nec cogitat. Quicquid igitur Medicorum doctiſſimus moliretur, ex Machinæ humanæ ſtructura & motuum legibus exactiſſime cognitis non foret explicaturus ea, quæ quivis ſentiens, cogitans, ratiocinans in ſemet ipſo experitur. Quo magis is omnium elaterum ipſius accurata cognitione inſtruitur, eo magis ex eorundem perſpecta inſufficientia coactus erit agnoſcere ens a Machina diſtinctiſſimum. Tantum igitur abeſt ut Medicina cultior & mechanica Materialiſmo faveat, ut potius de everſo eodem glorioſa victrix triumphet.

XVIII.

*) de fibra motrice cap. 5. init.
**) loco cit. cap. 4.

XVIII.

Oſcillatio naturalis Machinæ noſtræ cuivis fibræ & cuivis ejus elemento propria eſt, pendulo æmula non poteſt ſemper exerceri, renovatione corroboratione quandoque eget. Vera Medicina conſiſtit in eo ut deficiens reſuſcitetur, & nimia imminuatur.

* * *

Oſcillationis commemoratione plena ſunt Opera BAGLIVI. *De Motu Meningum & Oſcillatione ſolidorum* integram exaravit epiſtolam ad Philippum HEQUETUM. Deque *motu ſyſtaltico ſive de Oſcillatione & vi contractili ſolidorum* integro capite & ubivis fere tractat; neque intermiſit *de mira propagatione oſcillationis fibrarum* ſeorſim agere. Hæc omnia in fibris animalium ita ſeſe habere, etiam ſine admiſſo duræ matris motu, a quo is omnem oſcillationem deducit, nemo facile negaverit, dabitque infra adhuc occaſionem opportunam Auctor diſſerendi ea de re uberius. Multum debet Medicina BAGLIVO, quod ſtatum naturalem & vitia ſolidorum derelicta pene ſtabiliverit, Veterumque Methodicorum *ſtrictum & laxum* cujus obliti fere erant Practici ipſis in memoriam iterum revocaverit. Ipſe alicubi ſcripſit BOERHAAVIUS eum qui veram ſtricti & laxi ideam poſſidet, multum in arte profeciſſe, ſapienſque morbos fibræ debilis & laxæ rigidæ & elaſticæ, exponit omnium primo, alios quoſcunque antea exponere non auſus. Manca certe & impotens ars eſt, ſine ſolidorum, quaque ratione ſeſe ſecundum & præter naturam habeant notitia,

titia, cum omnem ſæpe paginam abſolvant corroborantia laxitati peccanti, & emollientia rigori morboſo oppoſita. Peccatumque eapropter graviter eſt ab iis, qui poſt immortale inventum Harveanum, quod motum conſiderare jubebat, inhæſerunt meris fluidorum vitiis hypotheſesque cerebrinas iis ſuperſtruxerunt, de vitiis ſolidarum partium motum præſtantium parum ſolliciti; donec circa finem præteriti & initium labentis Seculi demum inter alios BELLINVS, BAGLIVVS, PITCARNIVS, THOMSONVS, HOFFMANNVS, BOERHAAVIVS meliora docerent. Valde multa in pathologicis de humorum morbis vel ficta ſunt & imaginaria, quorſum craſes diverſas, acoremque ſanguinis, ejusque fermentationes, effervescentias, motus inteſtinos, pugnasque particularum inter ſe referas, vel ita comparata ſunt, ut omnino tolli negent, niſi firmarum partium morbis conſulueris. Nollem vero etſi de his ſatis certus eapropter in alterum extremum deflectere, ac præceps nimis aſſerere, veram medicinam non niſi in corroboratione laxi & relaxatione ſtricti fundari, cum multa & gravia mala a ſpontaneis vitiis humorum in prima officina enatis pendeant, fluidorumque lentor vel iners, vel phlogiſticus, & vexatiſſimum illud acre ſpecificum ſua ſibi ſingularia depoſcat remedia, ut de obſtructionum medela ſaponaceorum & ſolventium uſum indicante, ac ſpeciatim de pharmacis ſingulis in fluida potiſſimum vel in ſolida & fluida ſimul agentibus jam nil dicam.

XIX.

XIX.

Corpus eſt horologium, & chylus novus eſt artifex avtomatarius qui id in motu conſervat. A chylo febris inducitur, qua novi ſpiritus generantur, qui lege mechanica animant muſculos & cor quaſi eſſent miſſi imperio voluntatis.

* * *

Sine novo chylo omnem machinæ humanæ motum cito deſiturum fore nemo ambigit, ejusque perenni commeatu ab alimentis & potulentis aſſumtis prognato, vires fibrarum, vaſorum, viſcerumque inſtaurari ut agere pergant, Medici intelligunt omnes, Eos vero offendere debet comparatio chyli cum artifice horologii, inſtituta ab Auctore, atque ægerrime quadrans. Molendinum adſpiciamus; ejus motus ſiſtitur ſtatim niſi aqua perpetuo affluens, rotarum vectiumque actiones ſuſtentet, quis vero aquam hanc cum Molitore aut cum Mechanico qui conſtruxit Molendinum compararet? Habet hoc Machina noſtra, cujus artifex ſummus Deus eſt, quemque dignoſcere nemo niſi præjudiciis occœcari cupiens, & inſipientis ſapientiæ conſultus non poteſt, habet inquam hoc ſibi ſoli præ aliis humana manu confectis proprium, quod ſe ipſam conſervet, inſtauret, & capto cibo & potu id inde eliciat, quod huic operi neceſſarium habetur, imo vero elaterum ſuorum languorem, motuumque anomalias ſubinde ſuis viribus ſola corrigat. Scilicet ipſo perenni cordis & arteriarum motu quo in gyrum indeſinenter omnis gene-

ris liquida volvuntur, ſecretionumque & excretionum ſucceſſus abſolvitur, non ſaltem ipſa liquida exhauriuntur, ac difflantur, aut acrimonia contracta inutilia & hoſtilia machinæ evadere incipiunt, ſed & attritu continuo elementa ſolidorum deteruntur, fluidis miſcentur, perduntur. Utrumque defectum continuo naſcentem continuo ſupplet alimentorum ingeſtio, elaboratusque inde vi ventriculi & inteſtinorum aliorumque viſcerum chylus in ſanguinem mutandus, & ex hoc fonte ſolidis & fluidis quam paſſa ſunt jacturam reſarcire, viriumque omnium motricum integritatem conſervare juſſus. Inde enim continuo in minutiſſimis vaſculis ſuccedens nutritionis negotium influente in ea abſolutiſſimæ elaborationis liquido vaſis majoribus, viſceribus, partibusque omnibus corporis fert ſuppetias, cum ex minutis canaliculis majores formentur, totaque tandem ex illis machinæ moles effingatur, hacque ratione ſenſus & motus ſinguli feliciter abſolvuntur.

XX.

Hæ ſunt cauſæ vel vires vitæ, quæ ad centum nonnunquam annos motum ſolidorum & fluidorum conſervant, qui in illis ſine horum juvamine interiret. Fluida quippe nixu ſuo excitant & conſervant elaterem vaſorum unde circulatio. Verum quidem eſt vim partium ſolidarum in Animali conſervari & augeri circulatione, ſed ab illa non pendet quoniam ſoluta integritate partis aut viſceris nihilominus perdurat, ut in ſuperioribus vidimus.

Ami-

*

Amiciſſimo *fluidorum & *ſolidorum connubio, mutuiſque eorum actionibus & reactionibus, nixubus & renixubus volutum in orbem ſine quiete ſanguinis humorumque reliquorum circulum unice abſolvi, ſecretionibus & excretionibus inde pendentibus fabricam & miſtionem corporis in ſe corruptibilem conſervari, vitamque ejus proficiſci, ac cauſam primam ejus cordis actionem exiſtere, affirmant hodie Medici Mechanici ad unum omnes. Atque ſapienter HIPPOCRATES de corde & venis locutus, ab his fontibus & fluminibus humanæ naturæ totum corpus irrigantibus vitam deduxit hominis, & a reſiccatis iis mortem derivavit. Vana igitur & inania valere jubeantur omnia illa pharmacevtica & chemica præſidia, quæ a credulis & ineptientibus ad longævitatem obtinendam collaudantur. Nil aliud vitam diu protractam anhelantibus prodeſſe aptum eſt, quam tale præciſe diæteticum regimen, quod vires motrices cuſtodit, vaſaque omnia ad exiliſſima usque aperta ſervat, & liquidis meabilitatem conſervat. His ita ſeſe habentibus niſi tandem ipſa vi vitæ rigeſcerent ſolida, ac non obſtante exactiſſima diæta minutuli canaliculi qui pervii eſſe debent, collaberentur, concreſcerent, & in fibras abirent, vita noſtra multo diutius perduraret, terminumque quem poſuit Moſes 70 vel 80 annorum ſæpius excederet, ad quem tamen quantum fieri poteſt extendendum arcani inſtar ſerviunt ea, quæ ſenili rigori contrariantur, morte naturali hac ratione per annos procraſtinata. Nil ergo ad vitam & mortem facit Anima, quæ ad Eruditum non pertinens, ne quidem utriusque notionem

tenet,

tenet, niſi quatenus deſideria & cupiditates extra orbitas vagantes frænat, & tranquilla continentia moderamen corporeorum motuum haud pervertit, ad quam tamen impetrandam etiam corpus per ſobriam diætam bene valens multum facit. Aliter autem ipſi vitæ cum Anima nullum intercedere obſervatur commercium, ſed potius docente evidenter Illuſtr. HOFFMANNO *) *vita & mors mechanice fiunt, & non niſi a cauſis mechanicis phyſicis & quæ ex neceſſitate agunt dependent.* Parum ſimul curanda eſſe eorum placita monſtrat Vir optimus, qui ad imperium animæ in corpus vel animæ conjunctionem cum corpore, ſeparationemque ejus ab eodem, animæ energiam fatiſcentem, functiones corporis deſerentem & his ſimilia gratis provocant. Cum quo faciens Illuſtris BERGERVS **) *uno motu cordis circuituque ſanguinis ea quibus actio vitæ in corpore continetur multo clarius doceri,* ait, *quam tot vel commentitiis animabus vel potentiis & facultatibus quas vulgo in Anima noſtra fingunt. Neque enim ubi res ipſa conſtat ad nomina ignota vel proprietates occultas confugiendum eſſe* monet. Atque hæc vita ſive perfecta & naturalis, ſive imperfecta & morboſa, iisdem elateribus & motricibus viribus, quia nulla unquam indulgetur quies, a primo conceptionis momento perdurat ad illum temporis articulum quo ultima micat cordis ſyſtole, ſæpeque diu ſatis quod mirum per tot luſtra innumerabilibus cordis & arteriarum ictubus ſeſe inſequentibus abſolvitur indeſinenter ſive dormiamus ſive vigilemus. Quod omne ſi Medicæ conſideratio-

ni

*) Med. Syſtem. Tom. I. p. 75.
**) diſſ. de vita & morte.

ni ſubjeciſſet, & Philoſophus non officiorum erga nos & alios impletione ſublimiorumque conſideratione ætatem hominis metitus eſſet SENECA, non habuiſſet cur de brevitate conquereretur, neque computo inito tempus quo ſomno indulgemus ipſi detrahendum cenſuiſſet. Verum interim eſt per dimidiam forte, vel tertiam vitæ partem, qua lectulis excipimur, nos homines nec moralem, nec animalem, ſed vitalem ſaltem vitam vivere, neſcia & non attendente anima; eoque ipſo nos certos reddi, hanc ſoli deberi Machinæ, legibusque motuum in ipſius fabrica reperiundis. Patet nunc ex his omnibus, quousque mihi & Medicis mechanicis omnibus eadem vitæ idea habeatur, ac Auctori eſt; neque opus, ut fuſius alibi prolata referam, evincamque denuo vitam hanc mechanicam Animam exiſtentem haud tollere, poſſunt quippe ſubſiſtere vitales Machinæ in Machina humana ſine concurſu Animæ; poteſt exiſtere Anima & exiſtit vere Animalibus Machinis unita arctius, & jus ſuum in has ſartum tectumque ſervans. Habeo vero quoque nonnulla quæ quoad vitalem vitam aliter dicta ab Auctore mallem, cum ejus ſententia veritati non bene reſpondeat. Nempe vim fibrarum elaſticam & contractilem a qua circulus ſanguinis proficiſcitur ipſis inſitam dicit, & non pendere a circulo vult quoniam deſtructa partium fabrica perduret, licet a circulo conſervetur. Eget ſane Auctor hac propoſitione de inſita vi motrice pro ſua hypotheſi, inde toties eam repetit. Quid vero hoc eſt dixiſſe non pendere a circulo, & tamen a circulo conſervari. Conſideret quæſo præter ea quæ de hac contractione phyſica non vitali in antecedentibus dixi, fibram

omnem

omnem coaleſcere ex elementis terreſtribus oleoſo glutine inter ſe invicem cohærentibus; hæ terreæ moleculæ, hæque glutinoſæ particulæ, nato ob continuam actionem fibræ, nixusque fluidorum alluentium in illam, perpetuo attritu, ſenſim abraduntur & deteruntur; ni igitur in abraſarum & detritarum a vi circuli vacua ſpatiola, apponerentur vi circuli moleculæ novæ, brevi fibra ceſſaret eſſe fibra, & omnis eidem inſita vis contractilis deſineret, quæ per peculiarem ſuam ſtructuram ab adunatione terrearum & glutinoſarum particularum pendet. Cum ergo vix per momentum fibra in omnibus ſuis elementis immutata perſiſtat eademque maneat, quæ fuit momento antea, ſed eorum continuam detractionem & additionem patiatur, a cohæſione vero elementorum cum glutine quam circulus imminuit & conſervat, pendeat contractilitas, eluceſcit clariſſime vim contractilem inſitam ejusque imminutionem & conſervationem omnino a circulo pendere. Sed de hac re adhuc dabitur agendi occaſio.

XXI.

Nunc ad STAHLIVM ſe convertit Auctor cujus hypotheſis omnino ſuæ prorſus contrariatur. *Multa* autem *diſceptatione non opus eſſe* dicit *cum vel ſola attentione ad artificem fidibus canentem illa deſtruatur cujus digiti uno tempore varios adeo motus diverſis locis, eaque celeritate & promptitudine edant, qui omnes inſcia prorſus anima ſuccedunt.* Stahlium dein ſalſe ridet *viribusque majoribus quam aliorum Animas Stahlianam inſtructam ſine dubio fuiſſe* dicit, *cum*

cum non tantum in voluntarios motus jus imperioſa exercuerit ſed & cordis arteriarumque motum & circulum omnem adminiſtraverit. Tali autem gaudentem anima hominem non debuiſſe febre laborare, non torqueri dolore, non languore opprimi, nulla impotentia, nullo priapiſmo laborare putat *ſed volente illa elateres debuiſſe intendi & relaxari; mirandumque eſſe Stahlium poſuiſſe vitam, cum qui tantæ virtutis Medicum in ſe foveat, immortalem eſſe oporteat.*

*

* *

Veneror ego Stahlianos cineres, Viri ſummi, quem ſi nulla alia ejus forent in rem medicam merita, etſi anima ipſius id præſtare nequivit, immortalem reddit, vel ſolum eximium in conſcribendis morborum hiſtoriis ſtudium. Licet autem ſcholas diſcipulorum ejus frequentare non intermiſerim, argumentaque omnia quibus corroborare & defendere, atque interdum ultra mentem Præceptoris extendere ſyſtema ejus conantur, penſitaverim ſedulus; multis tamen & inſuperabilibus difficultatibus id premi mature cognovi, totumque dein me qualemcunque Mechanicis Doctoribus formandum commiſi, quorum dogmata clara & evidentia & in Praxi longe magis utilia, eo majori voluptate amplexus ſum. Hic quidem loci impugnare Stahlianorum placita ſupervacaneum haberem, cum toties id maxima doctrina factum fuerit a potentiſſimo Antagoniſta Illuſtri HOFFMANNO. Gravis ſæpe ipſis fuit Cl. STENTZELIVS, & quæ *de animæ Stahlianæ impotentia* data opera commentatus eſt BVRGMANNVS, vereor ut unquam ab

ab ullo Sectatorum diluantur. Id quod noſter Auctor habet contra hypotheſin ipſorum Argumentum ſolidum certe eſt, & multum valoris habet, illique ſonticæ rationi ſimile, quæ Illuſtri HALLERO Syſtema Stahlianum incredibile reddit. Animam nimirum noſtram unicam una vice ideam diſtincte percipientem, tot functionibus vaſorum, viſcerum, nervorum, muſculorum, partiumque diverſiſſimarum, quarum enumerationem vix centeſimus Anatomicus memoria comprehendit, ſimul dirigendis, tantaque ſapientia geometrica, & mechanica, inhabilem omnino pronunciat, maxime cum rerum geſtarum inſcia ſit prorſus, & eorum cauſa vix queat ſtatui, quæ aliter ſuccedere vehementer cupit; provocationem Stahlianorum ad vim conſuetudinis inanem eſſe, ſimul egregie probans *). Hæc omnia ſevera dubia ægre ſolvenda crediderim; quæ vero de febre & dolore opponit Auctor haud ſatis ut videtur, dogmatum Stahlianorum gnarus, non feriunt eorum aſſeclam. Namque hic clamitabit aſſiduo, Animam provido conſilio ſalutarique prorſus conatu augere motum circulatorium, ut vel plethoram imminuat, vel miaſma quoddam putredinem inducere aptum eliminet, ſuumque corpus ſalvum ita præſtet, & ab interitu vindicet. Congeſtionibus vero completis & incompletis hæmorrhagias in variis locis meditari animam, illasque ſine ſpaſticis ſtricturis, & doloribus adeo inductis ſuccedere non poſſe, omnis Pathologia clariſſimi Viri aſſerit, ne podagræ acerbo dolore excepto, quem moliminibus hæmorrhoidalibus adſcribit; quorum odioſa

*) Vide Prælect. Tom. IV. p. 587. ſeq. in notis & Phyſiol. §. 560.

odioſa & perpetua in omnibus morbis chronicis commemoratione, tanquam nota characteriſtica, ut ex ungue Leonem, ſtatim Practicum Stahlianum dignoſcere licet.

XXII.

Non vero STAHLIVS *ſolus rejecit Principium Oſcillationis in corporibus organicis, ſed magis intelligentes explicaturi actionem cordis, & erectionem penis, id haud adhibuerunt. Legendæ ſaltem inſtitutiones* BOERHAAVII *ut appareat quam laborioſum & fallax ſyſtema, omiſſa hac virtute adeo in ſenſus incurrente, magnus hic Vir multo ſudore, parturire debuerit.*

*
* *

Huc usque dum attentus legeram Libellum Auctoris, multo meo dolore ipſum Medicum judicaram, ob eximiam quam ubique prodit in anatomicis aliisque Medicis diſciplinis peritiam. Nunc autem ambigo totus, an ad hoc hominum genus ipſum referre debeam, quando eum iniquum & injurium in Viros graves offendo, BOERHAAVIVMque adeo ipſum, tantum Virum, negligentiæ & ignorantiæ turpiter & falſo coarguere animadverto. Erubeſcat & totus pudore ſuffundatur, quod obiter attendens ad recentiorum Medicorum Mechanicorum omnium dogmata, principia demonſtrationum ipſis ſuppeditare audeat, quæ diu ipſis notiſſima, diuque adhibita, at diu etiam pro inſufficientibus ad functiones corporis vivi explicandas deprehenſa fuerunt, ut paſſim ex iis quæ hactenus eundem de motu agentem co-

mitatus ediſſerui, ſatis jam apparuit. Ne STAHLIVM quidem oſcillatio & contractilitas fibrarum latuit, quin potius is indiguit eadem, ad fundandum ſuum ſyſtema; ſaltem ut omnia ad Animam retulit, ita & hunc motum quem tonicum vocat, cujus toties mentionem injicit, quemque a pulſu diſtinguit, phyſicis & mechanicis cauſis haud ſubjecit. Neque negari poteſt, ex motu tonico ſuo Clariſſimum Virum plura phænomena evidenter demonſtraſſe, quæ antea a Medicis ad humores magis quam motus attendentibus, minus bene explicata fuerant. At vero qui ad Mechanicorum Medicorum ſcripta oculos convertere voluerit, is hercle hæc adeo plena, adeo refertiſſima deductionibus, ab hoc contractili nixu villorum corporis organici deſumptis inventurus eſt, multaque in iis adeo ipſius Auctoris hypotheſi apparenter amica deprehendet, ut mirum ſit, qui hæc talia effugere ejus aciem potuerint. Scivit inter Antiquos jam GALENVS fibrarum contractionem naturalem, atque eadem in explicanda actione muſculorum uſus eſt; recentiori autem ævo HARVEVS, BORELLVS, LOWERVS, COLE & BELLINVS qui notiſſimum *de villo contractili* tractatum conſcripſit, eam extra omnem dubitationis aleam collocarunt. Hos autem fere duces ſecutus BAGLIVVS in Tractatu *de fibra motrice* innumeris vicibus agit *de magna vi & elatere ſolidorum, de criſpatione, de motu ſyſtaltico ſive de oſcillatione & vi contractili ſolidorum,* omneſque fibras & omnia earum minima eſſe veluti *totidem infinitos vectes cordi ſuppetias ferentes & inſenſibili motu ſuo ſyſtaltico ſeu oſcillatorio premere & urgere liquida* aſſerit; tandem huic vi inſitæ plura tribuit quam influenti

fluenti liquido nervorum, eam non a fluido ſolum vitali, verum etiam a particulari ſtructura, criſpatura & fibræ validitate oboriri profeſſus *). Taceo quæ SANTORINVS in tractatu *de ſtructura & motu fibræ* BAGLIVI operibus annexo huc facientia habet. Quamvis vero in eo, quod ab inceſſantibus oſcillationibus duræ matris, maximam partem fibrarum carnearum & membranacearum motum oſcillatorium derivet BAGLIVVS, neutiquam cum eo conſentiat Cl. THOMSON, tamen in elegantiſſima diſſertatione *de motu quo renituntur canales in fluida corporis animalis*, quam ingens ſit vaſorum elater, ex motu periſtaltico inteſtinorum, eorumque indeſinenti diſtractione & renixu; ex fibris muſcularibus transverſim ſectis ſtatimque reſilientibus; ex chordis muſicis elaſticis; ex animalium fibris confici ſolitis, eluceſcere contendit. An autem credibile foret talia ignoraſſe Principem Medicum BOERHAAVIVM? qui quæ ſciri poſſunt in Medicina, omnia ſcivit & perſpexit. Non videtur Auctor perlegiſſe a capite ad calcem aureas inſtitutiones, ad quas temere provocat, aliter enim prætervifa ipſi fuiſſe vix poterant, quæ graphice in hanc rem facientia conſignavit. *Fibræ, faſciculi, arteriæ, nervi, in vivo & in mortuo ſunt diſtractilia, ſine ruptura, utcunque tenſa, vi contractili prædita, ſciſſa multum ſe accurtantia, tunc molem ſuam minuentia, & in undulatam quaſi ſuperficiem ſe contrahentia, proprios ſuccos expellentia, hinc ſemper ſunt in ſtatu violento, ſemper renituntur ſuæ elongationi, ſemper nituntur ſe accurtare, plus in vivo, minus in mortuo* **).

 An

*) Videatur lib. I. caput 7. & 8. totum & p. 267.
**) §. 401.

An pulchrius deſcriptam oſcillationem aliquis deſideraret? Hæc omnia autem *in prælectionibus* exemplo muſculorum, ſola vi mechanica, ubi reſecti ſunt, pondera elevantium, chordarumque muſicarum immenſum pondus ſuſtinentium, antequam rumpantur, factaque ruptura utrinque retractarum, & accurtatarum illuſtrat; & (quod maximum eſt quodque Auctori perplacere debet) hanc vim contractilem omni chordæ, (ergo & fibris animalium ex quibus conficitur chorda) inſitam eſſe, neque deberi aëri, aut calori, aut gravitati, aut externæ alicui poteſtati, ſed ſoli ſimplici elementorum quæ fibram componunt attractioni mutuæ affirmat *). Tandem quoque in tractatu *de viribus remediorum* præter voluntatem ipſius edito, vim hanc fibræ, qua in ſui contractionem nititur, ſolidiſſima demonſtratione mathematica evincit, eoque adeo tempore quo quieſcere videtur fibra, vim ejus vere & phyſice agere demonſtrat eleganti experimento **). Ut vero vitam & ſanitatem, hac ipſa vi fibrarum & vaſorum contractili, ac elaſtica, ejusque æquilibrio conſervari centenis vicibus docuit, ita quoque ſi adunatæ partes minimæ, fibræ nixum in ſui cohæſionem exercuerint nimis parvum; vel nimis valde cohæreant, actionique fluidorum minus ſolito ceſſerint, multas gravesque ægritudines primis ſtatim aphoriſmis *de cognoſcendis & curandis morbis* clariſſime commonſtravit; ut adeo valde impudentis ſit, omiſſionis vel leviſſima culpa BOERHAAVIUM onerare. Atque hanc fundamentalem & inſeparabilem a cultiori Mechanica Medicina theoriam edocti a præſtantiſſimo Præceptore præſtantiſſimi Diſcipuli, van

*) Prælect. ad §. 401. **) p. 53. 54. 55.

van SWIETEN, HALLERUS, GORTERUS, SCHREIBERUS tenaces conſervarunt, atque doctiſſimis ſcriptis ulterius illuſtrarunt. Egregie inter reliquos Illuſtr. van SWIETEN elementa fibræ ſimpliciſſima terreſtria vixque mutabilia glutine aquoſo vel pingui cohærere docuit *) quod ipſum expendenti Muſchenbrœckiana & Hambergeriana de cohæſione corporum dogmata, liquido conſtabit. Porro ex vulgari experimento, quod digitis tracta in partes oppoſitas fibra obſequatur, & amoto digito ſe reſtituat, ejus contractilitatem & vim elaſticam evincens Cl. SCHREIBERUS, cauſam elateris ſæpe non bene explicatam, non niſi in ipſo glutine intermedio elementa connectente reſidere demonſtravit **). Atque dum cordis virtus a quacunque demum cauſa pendeat, a BORELLIO, KEILIO & aliis diverſimode ſupputata, & vix ab ullo menſuranda accuratius, ſi vel maxima æſtimetur, tamen movendo in orbem tantæ ſanguinis humorumque moli, totque ſuperandis reſiſtentiis neutiquam par habeatur, nil ſupereſt quod nihilominus indeſinenter ſuccedentem circuitum juvet, quam reciprocus ſyſtole cordis dilatatarum arteriarum omnium ad ultimas usque renixus, a ſola contractili earum vi proficiſcens, atque a THOMSONO & hodiernis omnibus dilucide explicatus.

Sed in corde ipſo, cui ego adeo tenuis ſane ſcriptor, memor eorum, quæ ex ore Præceptoris HOFFMANNI quavis occaſione vim contractilem & oſcillatoriam fibris inſitam inculcantis, audieram; quæ-

 que

*) in Commentario in aphor. Bœrh. Tom. I. pag. 20. 21.
**) element. Med. p. 200. 201. 202. 203.

que de motu fibrarum vitali elaſtico expoſuit *), vim motricem eſſentialem eandemque a fibris natura ſua ad contractionem proclivibus pendentem adſcripſi **), talem reſidere aperte docuerunt Viri graviſſimi. Sane de cordis motu hinc inde agens BOERHAAVIUS, non ubivis locorum contractilitatis fibrarum, ex quibus id componitur expreſſis verbis meminit id certum eſt; nec ſeorſim illi ſoli omne hoc negotium aſſignat ***); dum autem cor & auriculas veros muſculos dicit, & vi muſculari agere affirmat †), valebunt ſane etiam de corde, quæ de muſculis aſſerit, neque ſeparandam volet, a cordis fibris, quam omnibus in genere fibris muſcularibus alibi propriam dixit, contractilitatem ††). Atque eo tempore quo publicis lectionibus de quibus verba facit Illuſtr. van SWIETEN *in Commentarii præfatione*, cor fuſe & elegantiſſime explicavit BOERHAAVIUS, non certe admirandæ illius virtutis oblitus eſt, quam peculiarem & intrinſecam hoc nobiliſſimum viſcus cuſtodit, ſed ſtupendam illius irritabilitatem & ad motum conſtrictorium & dilatatorium perniciſſimam diſpoſitionem difficulter explicabilem, ſedulo commemoravit, cujus etiam *in nova inſtitutionum editione* mentio injicitur †††). Neque dubito Prælectionum Bœrhaavianarum per tot annos aſſiduum Auditorem doctiſſimum van SWIETEN iis fuiſſe permotum, ut adeſſe in corde miram proprietatem ſcripſerit, qua ſine communibus cauſis motus muſcularis ſuum ſatis diu continuare valeat:

*) Med. Syſt. Tom. I. ſect. I. cap. 4.

**) diſſ. inaugurali vitæ animalis conſiderationem exhibente §. 15.

***) §. 409.

†) §. 187.

††) §. 401.

†††) §. 187.

valeat: atque ut laude dignos habuerit Veteres, qui latere in corde vitale principium crediderunt, Galeno innatum ipſi eſſe motum aſſerente, quum vere in ſe ipſo recondat vim eam excitandi *). Præcipue autem fuſius & multis locis Præſtantiſſimus HALLERVS hoc in machina humana Perpetuum mobile ſua domeſtica virtute ipſas fibras habitante agitari notavit. *Cor*, inquit, *movetur a cauſa aliqua quæ neque a cerebro neque ab arteriis derivatur ignota, & in ipſa fabrica ejus latente* **). Porro *ex motu cordis nimis regulari & abundante longo tempore a morte ſuperſtite, aliud quid apparet quam affluxus ſpirituum absque fonte* ***). Denique ex inſtituto *in Phyſiologia* eadem repetiit, & Problemati cur tot in vita annis, tot in anno diebus, & toties per horæ ſpatium inquietum cor contrahatur, & dilatetur ſatisfacturus, miſſis nervis & arteriis, viſcus hoc ob ſanguinis ingreſſi ſtimulum, ſola vi irritabili ſuarum fibrarum alternis vicibus conſtringi aſſeruit neque quicquam ultra ob inſidentem cordi ſtimuli impatientiam requiri credit, quiete ejus neutiquam a compreſſione nervorum excluſa, motuque ligatis aut ſectis arteriis coronariis tamen perdurante †). Habet igitur omnino Auctor noſter cur de conſenſu Cl. HALLERI ſibi impenſe gratuletur, quem in multis aliis vereor ut unquam impetret, at ſimul agnoſcendum ipſi erit, & dolendum, quod ſibi ſoli hactenus perſpectam fuiſſe cordis inſitam ad motum promptitudinem & potentiam nimis

*) in Commentario pag. 2. 3.
**) Prælect. Tom. II. p. 129.
***) Prælect. Tom. IV. p. 615. 616.
†) §. 96. 112. 113. 114.

ſuperciliofus judicaverit. Etſi vero hanc rem ſine præjudicio æſtimantibus in dubium vocare haud licet, nollem tamen uni & ſoli fibrarum irritabilitati & ad oſcillationes nixui omnem cordis actionem tribuere, ſed cauſas ſocias ſeſe mutuo juvantes requiri crediderim, quas inter an huic vel alii prærogativa deferenda ſit non inquiram. Equidem artificia maxima ubi rite cognita fuerint ſumma ſæpe ſimplicitate abſolvi obſervantur, at ictus cordis per annos ſibi perpetuo ſuccedentes neminem facile ſibi concepturum autumo, niſi ipſa fibrarum irritabilitas & contractilitas ſenſim languida & fatiſcens futura, advectis aliunde cauſis eam foventibus conſervaretur & excitaretur. Vix credibile videtur, cordi quod muſculus cavus & biventer eſt, illa adminicula ad motum haud neceſſaria fuiſſe, quibus alii omnes carere nequeunt; vixque nervi per alioquin commune motus organum ſtatuuntur merito, gratis cor adeunt, vix tandem obiter prorſus haberi poſſunt phænomena, quæ ut aliarum muſculoſarum partium, ita & cordis nervos compreſſos & ligatos inſequuntur. Totus in aſſerenda contractili virtute cordi ingenita occupatus HALLERVS nullibi negavit, ex communi natura muſculorum nervos ad movendum cor plurimum facere, quod ipſum clarius ſine dubio apparituꝛum foret, ſi intercoſtales & a ganglio thoracico ſupremo ortos vincire, omnemque commeatum ſpirituum intercipere liceret; originibus nimirum omnium nervorum cardiacorum compreſſis, aut medulla oblongata, extemplo omnis cordis motus extinguitur. Ineſt hic motus utique eidem libero a vaſis ſuis, & nervis, ad tempus bene longum, an autem cauſa motus durabilis eaque ſufficiens

ciens ſimul inſit valde ambigo, neque etiam puto cordi ſuarum fibrarum inſita oſcillatione moto, eandem fore vim ad propellendum ſanguinem, qualem habiturum eſt, ſi nerveo rore perpetuo advecto irrigentur motrices fibræ, eadem prorſus ratione ut in aliis muſculis, has ob cauſas mirum quantum differt phyſica & vitalis contractilitas. Multum adeo abſum, ut poſitis etiam fibris cordis muſculoſis per ſe contractilibus, ac nerveo liquido libere advecto turgentibus, abſolvi perennaturam per vices ſyſtolen ſtatuam: pluribus certe ea cauſis amice in unum illum motum conſpirantibus indiget, mireque adeo inter ſe illæ in circulum abeunt, ut curatius attendenti vix appareat cui earum principatum deferre fas ſit, quamque alterius intuitu priorem laudare conveniat. Qui hujus vitalis viſceris functionem non pro ſua dignitate ſtupet, qui facile explicabilem vel maximis ingeniis habet, is adeat *Sermonem academicum* illuſtris BOERHAAVII *de Honore Medici ſervitute.* Liceat mihi quæ huc ſpectant, exhibere pauciſſimis: *Ut agat cor nervorum eget virtute, nervorum facultas a cerebello, hujus potentia ab arterioſo ſanguine vi cordis aggeſto, cauſa ergo hic effectu ſuo prior, tamen ab hoc pendet. Nequit moveri muſculus cordis, quin aorta tradat ſanguinem in arterias coronarias, ſed hoc non poteſt fieri, niſi cor antea aortam dilataverit, & hic adeo effectus ſuam iterum cauſam facit. Non ruit ſanguis in cor vacuum ex auriculis & ſinubus venoſis, niſi cor eum prius expulerit. Movet itaque omnia cor & ab omnibus movetur, non valuit humores ſtagnantes propellere, nec potuere hi quieſcens cor agitare ſed in principio vitæ motus ab alia ortus fuit cauſa. Nemo promittat*

notitiam & conceptu ſingularis cauſæ ſenſere ſe eluſos qui cauſam vitalis reciprocationis humorum quæſiverunt in ſola fabrica partium, aut in humoribus ſolis aut in una parte principe, aut in liquore ſingulari. Sero viſum eſt, oportere cauſam motus ſimul rite aſſequi, aliter vitæ rationem nemo intelliget *). En intricatam functionis illius in corpore indolem, quam princeps ejus viſcus exercet, cujus ſive ſyſtolen ſive diaſtolen rite explicare ſi volueris, unumque demonſtrationis principium quæſiveris, inſuperabilibus difficultatibus temet obrutum undique dolebis. Docuit in compendio eleganter doctiſſimus noſter HAHNIVS **) quem Patronum veneror, & amabilem Amicum redamatus tantopere deamo quam fallantur VIEVSSENIVS, BELLINI, LOWERVS, THOMSON, STROEM, COWPERVS, GVILIELMINI, dum alternos illos motus ſuo quisque genio ex fundamentis precario ſuppoſitis explicare aggreſſi ſunt, aëris inſpirati elaterem in ſubſidium vocandum probans, ſanguinemque cava cordis ingredientem, qui motu & gravitate irritabiles & cedentes impulſui fibras provocare ad renixum, novamque ſyſtolen poſſe videbatur, æque ſphincterem cordis ſuperare monens, quam deſcenſurus gravitate ſua per gulam bolus. Non autem opus ut longius excurram, quando evici principium ex Auctoris mente cordis motum abſolvens nec BOERHAAVIVM nec alios doctos Medicos latuiſſe, atque nec hoc nec ullum aliud ſolum ſufficere explicationi. Cæterum Animæ intuitu perinde eſt ſive his ſive aliis cauſis cordis motus abſolvatur, hanc quippe earundem

*) p. 22. 23.

**) de aëris inſpirati in pulmones effectu diſſ. §. 16.

dem catalogo haud inſerendam eſſe ſatis certum eſt, cum pertinaciſſime volens eandem nec tantillum vel intendere vel inhibere valeat.

XXIII.

WILLIS & PERAVLT *ipſi inferiores ſed Obſervatores Naturæ, quam* BOERHAAVIVS *non cognovit niſi per aliorum operam, maluerunt ſupponere Animam per totum corpus diffuſam, quam noſtrum principium. Secundum hanc hypotheſin motus ſuperviventes ſubjecto, cui inhærebant, ponunt reſiduum quoddam Animæ, quod conſervat partes, quæ ſe contrahunt, non amplius excitandas influxu ſanguinis & ſpirituum. Hoc vero reſiduum Animæ, nil aliud eſt quam vis motrix Leibnitianorum, male expreſſa, per hunc terminum quam tamen* PERAVLT *vere cognovit.*

* * *

Eadem injuſtitia ut in antecedentibus, & hic iterum temere laceſſere haud veretur manes Bœrhaavianos Auctor. Duram vero hanc animadverſionem, Illuſtriſſimum & poſt fata Virum, quod naturam non ſuis ſed aliorum ſaltem mutuo acceptis oculis introſpexerit, nullum promereri, judicabunt ſpero omnes, quibus ſcripta ejus immortalia ſatis innotuerunt, quique ex ore ejus ſapientiſſimo pependerunt aut laborum aſſiduorum quos incredibili opera, & patientia, indagandis abſtruſis & abditis naturæ operibus impendit, fideles fuere ſocii. Id largiuntur omnes boni, gloriam non vulgarem in eo poſuiſſe doctiſſimos

mos & peritiſſimos homines RVYSCHIVM, LOEWENHOECKIVM, RAVIVM, ALBINVM, FAHRENHEITIVM & alios, honoratiſſimosque præcipue Collegas, quando ſuis obſervationibus & experimentis divinum ingenium BOERHAAVII quod ad ſyſtemata ſcientiarum condenda natum erat, juvare poterant. Omnia quippe & tot diverſa ſimul proprio conatu indagare, non permittebat fluxa unius hominis, & circumſcripta tot arduis negotiis vita. At vero quicunque vel obiter conſideraverit quanta perſpicacia Vir ſummus & in corpus humanum ſanum ejusque fabricam, & in ægrum penetraverit; quam belle functiones ejus omnes explanarit; quam claras morborum notiones nemini eousque detectas hactenus, ſuppeditaverit; quam exquiſite vires rerum naturalium amicas & nocivas ſanitati hominum tradiderit; is credo turpe dictu habere debet opprobrium quod BOERHAAVIO cognitionem naturæ denegat. Evolvat in poſthumam famam tanti Viri injurius, inter alia quæcunque ejus opera quæ cum admiratione & plauſu totus Orbis Eruditus excepit, ſolam ſupra humana induſtria, poſt indicibiles labores exantlatos natam Chemiam, & expendat oro, an qui millenis tædiis & periculis haud paucis, ipſe tot adornavit & repetiit ſedulo operoſiſſimos & circumſpectionem ſummam tempusque bene longum poſcentes proceſſus; an ille, qui Chemiam docens Phyſicam cum eadem jungit inſolubili nexu, hancque ad ultima & ſimpliciſſima principia proſequitur ſtrenuus, nil aſſumens niſi evidenter demonſtratum, an ille inquam Naturam non cognoviſſe, aut cognitionem aliorum ſaltem in ſe derivaſſe dicendus ſit, an minus.

Sic

Siccine tandem ii tantum naturalium rerum ſapientia divites cenſendi erunt, qui invita & renuente natura ad heteroclita & paradoxa delabuntur? Abundent & abutantur illi ſuo ſenſu, ego brevibus ad WILLISIVM & PERAVLTVM accedo, quos animam diffuſam per totum corpus ſtatuiſſe Auctor noſter memorat, quorum ſententias nil moror. Animæ immateriali locum & ſedem aſſignare difficile & impoſſibile; quis vero hodie diviſam animam partibus a corpore reſectis & diſſectis motum impertiri, aut in his motis reſidere reſiduum quoddam Animæ, vanus adſtruere laboraret? Ineſt fibris omnino & ex his compoſitis partibus ſua propria vis ad motum, non indigens anima, ſed limitata, & legibus certis adſtricta, ut jam vidimus.

XXIV.

Ita contra Carteſianos, Stahlianos & Mallebranchiſtas, quemadmodum & contra Theologos indignos licet qui hic locum obtineant, clare demonſtratum eſt Materiam ſe ipſam movere ſua virtute, non tantum organiſatam, ut in corde, ſed adeo quando Organiſmus eſt deſtructus, miſſis Philoſophorum vitam, ſenſum & cogitationem explicantium confuſis ſententiis.

*

* *

Nimis hodie res hæc maximi momenti, maximique uſus, evicta & demonſtrata eſt a ſummis ingeniis, ut plane in dubium vocari nequeat, ſuntque forte Stahliani ſoli, qui favore ſemel aſſumtæ hypotheſeos ſeducti,

ſeducti, facilioremque doctrinæ viam ingreſſi, eam amplecti nolunt: Nam & doctos & literatos Theologos, quos a mediocribus declamatoribus ſacris ſejungere debuiſſet Auctor, non aliter ſentire certum eſt. Nempe obſolevit tandem, & bonis avibus abiit illa Philoſophia, quæ inanibus terminis nil ſignificantibus referta, ubicunque motus explicandus erat, ad Archæos, Spiritus, Animas, confugiebat pigra, atque materiam corporum tranquillam, otioſam, inertem, mortuamque quaſi, concipiebat. Melius ſagaciores de motu & materia ſentiunt WALLISIVS, HVGENIVS, MARIOTTE & præcipue immortalis NEWTONVS *in principiis philoſophiæ naturalis* cum Commentatore WISTHONO, & *in Coſmologicis & Phyſicis* Illuſtriſſimus L. B. de WOLFF. Omnia demum corpora naturalia ſunt res ſenſibiles & mobiles; omnes eorum effectus in certis mutationibus conſiſtunt, quarum nulla concipi poteſt ſine motu, ſecundum certas regulas, leges, directiones, eveniente; omnesque illæ mutationes loci & diſtantiæ, motum involventes, eorum debentur vi inſitæ eidemque unicæ motrici. Una commemoretur nobis gravitas. Demonſtravit NEWTON corpora quælibet inſita ſua vi petere terræ centrum ſeu quod idem eſt gravitare. At gravitatio corporum & molecularum ex quibus coaleſcunt nil aliud eſt, quam perpetuus eorum nixus in ſe invicem, nam quamvis quieſcere videantur, agunt tamen ſua gravitate, & nixum naturalem retinent tamdiu non obſervabilem, quamdiu alterius corporis renixus eſt fortior. Nulla ergo datur in univerſo quies abſoluta, nititurque adeo in ſe & in mutuos contactus ruit tota natura. Pendet inde corporum naturalium

elaſti-

elaſticitas, qua diſtracta & preſſa nixu inſito renituntur, & in priſtinos contactus redeunt. Nunquam ego quidem recordabor ſine voluptate pretioſæ illius horulæ, nunquam obliviſcar, quanto amore quantaque humanitate tum me exceperit Auditorem ſuum ex infimis, Venerabilis ſenex, Optimus Præceptor HOFFMANNVS, cum tenuem ipſi his imbutus principiis diſſertationem inauguralem offerrem; auſcultantique patienter juſtas laudes prælegerem, quod adhuc ante Leibnitium aliosque circa finem ſuperioris Seculi florentes Phyſicos & Mathematicos concreatam & inſitam eſſe materiæ corporibusque vim, ad motum producendum, docere felici auſu cœpiſſet *). Atque quam amice cum Amico ſuo HOFFMANNO quem amavit & toties in ſcriptis ſuis collaudavit, conſenſerit Illuſtr. BOERHAAVIVS teſtis eſt anno jam ſecundo hujus Seculi habita ejus præſtantiſſima *de uſu ratiocinii mechanici in Medicina* Academica Oratio, ad corpus humanum eximia doctrina applicans ea quæ competunt in genere naturalibus corporibus omnibus. Eleganter quippe docetur ibi, humanum corpus idem eſſe natura, cum tota quam contemplamur rerum univerſitate; ſenſu teſte, & ratione judice, nil habere præter cætera eximii, niſi quod ex pluribus diverſisque machinis conflatum, adunatis partibus plures eosque varios valde producat motus, qui mecha-

*) Videantur diſſertationes Hoffmannianæ de corporibus illorumque principiis & affectionibus; de corporum motu ejusque cauſis, de corporum motu ex gravitate ortis, de univerſali agente in corporibus & ante eas jam anno 1694. habita quæ theoremata phyſica comprehendit.

mechanica plane evidentia, ex mole, figura, firmitate, & nexu partium inter ſe, fluunt *). Cujus ſolidiſſimi ratiocinii veritati ſumma cum gloria inſiſtens Clariſſimus HALLERVS: *Manifeſte falſum eſt*, inquit, *motus omnes corporis humani ab Anima oriri & absque ea materiem fore immobilem ſegnemque maſſam. Nam vis contractilis ad ſtimulum quemcunque, ad quam motus cordis inteſtinorum & forte omnis motus in homine pertinet, ne requirit quidem Animæ præſentiam, ſupereſt in cadavere, ſuſcitatur mechanicis cauſis, calore, flatu, neque deſerit fibram quamdiu nondum refrigerata riguit, etſi dudum Animam abegerit deſtructio cerebri cordisque, etſi ex ipſo corpore revulſus muſculus ab omni imaginabili ſede animæ ſeparatus ſit* **). Non ſine ſuavi animi oblectamento ut omnia antecedentia ita hæc præcipue Halleriana excipere poteſt Auctor, quæ pro ſua hypotheſi firmanda ipſe vix graphice magis conſignare poterat, magnamque ejus gratiam inire debent Medici ita ſentientes, quam in me ipſum qualemcunque derivatum ad tempus iri mihi gratulor. Sed ſi corpus humanum totum machina ſit, ſi in eam nil poſſet arbitraria voluntas, non tamen materia motrice vi inſtructa fugat Animam, ejusque operationes; de quibus in ſuperioribus ſæpiuſcule actum, & ſibi eas arrogans valet aſſerere. Explicet qui poteſt vocata in ſubſidium cohæſione & attractione, vi centrifuga & centripeta, vi inertiæ, vi percuſſionis, gravitate verſus terræ centrum nitente motuumque ſtabilitis legibus, cogitationum, abſtractionum, ratiociniorum ſublimium geneſin, laborabit incaſſum! Omnis quippe hæc liberrima eſt, & exlex.

Neque

*) pag. 4. & 5. **) Phyſiol. §. 562.

Neque favet vis motrix materiæ inſita Atheis, quin potius quod HOFFMANNVS præclare notat, ex Stoicorum placitis, & Materia Univerſi mere paſſiva, præcipuæ prodierunt nefariæ & execrabiles opiniones Spinoſæ *. Quærere licet circumſpectis & Deum exiſtentem venerantibus Eruditis, quis Moderator legum corporearum? quis materiæ eas inſevit? an ipſa ſibi? An leges illæ pro conſervatione totius Univerſi ſibi adeo invicem amicæ, adeo per experientiam ſibi ſemper ſimiles & immutabiles, quarum exiſtentiam comprehendunt, effectus rimantur, rationem ſufficientem ſæpe ignorant mortalium doctiſſimi non ponunt ſapientiam & intelligentiam ſummam? an autem hæc reſidet in ipſa bruta materia?

XXV.

Omne quod experientia docet de modo hujus motus, hoc eſt, quod quamdiu ille ſubſiſtit etiam minimus, in una vel pluribus fibris, tantum illæ pungendæ ſint, quo fit ut fere jam extinctus iterum reſuſcitetur. Certum itaque eſt, motum & ſenſum alternis vicibus excitari, & in corporibus integris, & in iis ubi fabrica jam eſt deſtructa, idem in plantis nonnullis obvenit.

*
* *

In medium nunc producit Auctor veriſſimam illam & utiliſſimam ad phænomena & ſani, & ægri, & ſanandi corporis, explicanda, neque minus ad medelarum diverſarum genera accuratius cognoſcenda, &

*) diſſ. de fato phyſico & medico §. 6.

& intelligenda, Medicam doctrinam, de actione ſtimuli. Varia hactenus de inſita fibris ſingulis muſcularibus & nervoſis irritabilitate, & contractilitate naturali dicta ſunt; ex hac vero ipſarum indole evenit, quod applicata cauſa irritante quacunque fibris animalis vivi, aut partibus ex mortuo nondum frigidis & rigidis, hæ moveantur fortius, contrahantur, & oſcillent atque id ipſum ad leges perpetuas & univerſales motuum in corpore humano obviorum, referendum eſt. Subtiliſſima acu ſi pupugeris minutiſſimam fibrillulam muſculi, membranæ, contrahit ſeſe, tremit, convellitur. Nervum ſi ejus acie tenuiſſima tetigeris commoventur partes ad quas ille cum ſuis ramificationibus diſtribuitur, quin abſciſſi adeo a corpore ſuo muſculi nervus, ea ratione læſus, efficit, ut totus muſculus ſtatim abbrevietur, & contrahatur. Quod vero hiſce experimentis inſerviens præſtat acus, id præſtant eadem vi quamvis majori minorive omnia acria, namque corpora ſingula aut apertam linguæque ſenſibilem, aut latentem acrimoniam cuſtodientia ſi microſcopiis adſpiciantur, acuminatis & in aciem extenſis particulis conſtare obſervantur; quæ proinde infixa fibris tanquam aciculæ, cultelli, gladioli, ſcindentes, pungentes, rodentes, vellicantes conſiderari queunt. Quodcunque igitur acre eſt, corporis fibras exſtimulare aptum reputari debet; & quo magis acrimoniæ ſuæ & acuminis tenax fuerit, ut obtundi ſeſe vitæ viribus aut non, aut lente patiatur, eo efficacius ſuam ſtimuli vim exercere obſervabitur. Non vero videtur naturalis vel auctior per ſtimulum reddita fibrarum contractilitas & oſcillatio deberi ſolis fibris earundemque phyſicæ indoli, ſtru-

ctur-

ſturæque mechanicæ: Saltem effectus maximi, quos ex ſtimulis natos videmus, & miramur, in corpore humano, inde explicari vix poſſunt. Sed potius quemadmodum ligato compreſſoque nervo ob affluxum liquidi ſui interceptum, omnis motus partis perit, hæcque reſolvitur immobilis, quaſi non amplius pertineret ad vivum & mobile animal; ita ſtimulato & irritato nervo vel fibra nervea, & muſculoſa, ejus ſobole, accelerari & copioſius advocari flumen roris nervoſi, a ramo majori, vel & ab ipſa ſua origine, ac æquilibrio ſolidi & fluidi ſublato, motus oſcillatorios hac ratione intendi, & celeriores reddi, credibile eſt. In cadaver nempe actio ſtimuli nulla, & in parte animalis mortui, in qua motus ſuperſtes eſt, illa primo evidentior, dein ſenſim elangueſcit, & perit, eo quod ſublato commercio cum cerebri officina, ex qua undæ ſubtiliſſimi liquidi fibris omnibus infunduntur, commeatus ad perennitatem motus requiſitus deſinat. Pro ſtimuli vero differente ingenio & energia, pro corporis animalis quod eum experitur ſenſibilitate, teneritudine, mobilitate, pro partis conditione cui inhæret, evenire ſolet ut inde nati effectus contractiones fibrarum vel magis particulares obſerventur, vel latius ſeſe extendant, aliasque vicinas ſimul commoveant, imo tractis ob commercium totius nervoſi ſyſtematis in conſenſum medulla ſpinali ipſoque cerebro univerſales adeo reddantur. Multum juvat Medicum hæc noviſſe exactius, namque modo partibus ſenſui ſervientibus ſenſuque pollentibus infixus ſtimulus, modo illas quæ motus animales moderantur laceſſens, modo cor & arterias pungens difformes ſemper effectus producit, una tamen ejus

actione excluſos, una radice pendentes. Acutiſſimarum ægritudinum febrium, ſpaſmorum, convulſionum, dolorum geneſis fere ſtimulo debetur, ipſique adeo puſiones vel ab acido vellicante, vel dentium irritatione, vel vermium morſu, vel acri varioloſo & morbilloſo ægrotant. Chronicorum malorum ærumnoſa illa caterva quæ hypochondriaci & hyſterici mali nomine venit ſtimulo & irritabilitate abſolvitur. Magna ergo pars illius ſapientiæ, qua ægris conſulit peritus Medicus, ſtimulorum notitia, antidotorumque cognitione quibus illi inertes reddi poſſunt, continetur; totiesque ſi ſpecificum illorum ingenium ignoratur, benedictus demulcentium, lenientium, mollientium generalium, & latiſſime patens anodynorum, uſus deprehenditur. Ut vero acutis paſſionibus ſæpe enervato morboſo ſtimulo medentur Medici clinici, ita diuturnas & lentas ab inertia & languore ſolidorum proficiſcentes, non raro inducto medicamentoſo ſanant. Quæ priſco tempore in hos fines adeo in uſu erant cucurbitæ, ſinapiſmi, frictiones, urticationes, ligaturæ, cauteria, quibus recens ævum veſicantia ſubſtituit, quicquid boni præſtant, ſtimulo exequuntur. Vomitoria, purgantia, diuretica, diaphoretica, ſialogoga, emmenagoga non niſi vi ſua irritante, villosque corporis ſtimulante operationem ſuam edunt. Plantæ acres, ſalia omnis generis volatilia & fixa, oleoſa, aromatica, ſapones, ſpiritus ſolo hoc nomine juvant. Felix Artifex juſto tempore ſtimulos inferre & mitigare doctus! Multum ergo in hiſce faciunt cum Auctore Mechanici Medici, ſed contradicent ipſi omnes quando ſenſum a ſtimulo partibus ineſſe aſſerit iisque adeo, quarum fabri-

fabrica jam eſt deſtructa. Ponit nimirum ſenſus commercium fibræ punctæ cum cerebro ſalvum & ſuperſtes, ſublatoque eo nullus in parte ſenſus, quin exquiſitiſſimo ſenſu valdeque doloroſo parti cuidam illato is non percipitur, ſi narcotico obtundatur commune ſenſorium, licet ſtimulus idem ibi hærere & agere perrexerit.

XXVI.

Quot vero excellentes Philoſophi demonſtrarunt, quod cogitatio nil ſit niſi facultas ſentiendi, & quod anima rationalis nil ſit niſi anima ſenſitiva ſeſe applicans contemplationi idearum, & ratiocinans. Id hoc ſolo probatur quod ſenſu extincto etiam cogitatio pereat ut in apoplecticis, lethargicis, catalepticis; illi enim qui dicunt in affectubus ſoporoſis nihilominus cogitaſſe Animam, licet idearum ſuarum non ſit memor, ridicula affirmarunt.

* * *

Impoſſibile demonſtratu habendum crediderim, facultatem ſentiendi & cogitandi unam eandemque eſſe, quamvis omnis cogitatio ſentiendi facultatem præſupponat. Una omnino videtur eſſe Anima rationalis & ſenſitiva, inter ſenſum vero & rationem multum dari diſcriminis certum eſt, idque Philoſophis antiquioribus tantum fuit habitum, ut ſenſum & rationem in uno ente ſibi fingere nequiverint, duasque diſtinctas Animas proinde ſtatuerint. Quin moderno tempore Celeberrimus RÜDIGERVS Lipſienſis

enſis illud Medeæ: *Video meliora proboque, deteriora ſequor*, pugnamque quam homines intus perſentiſcimus, eligamus an fugiamus aliquid, eo gaudere invincibili valore toties aſſeruit, ut cum in una ſubſtantia nequiret concipi & explicari pugna, admittendum eſſe diſtinctum voluntatis, & intellectus principium evinceret. Neque ea in re abfuit ab ejus ſententia inter Medicos Celeberrimus HOFFMANNVS *). Non hic adfero argumenta graviſſimorum Virorum diverſis facultatibus unam Animam poſſe inſtructam eſſe aſſerentium, & demonſtrantium. Mirum autem quando illas eminentes adeo habuerunt alii perſpicacia valentes homines, ut una operatrix Anima ipſis inſufficiens viſa ſit, ſurrexiſſe, qui nullam ad omnes requiri contendant, & Machinæ ſoli tribuant, quidquid vel ad duas Animas, vel ad unam relatum fuit. Senſu extincto ceſſant omnes actiones unitæ corpori ſuo quomodocunque Animæ, organisque ſenſuum aut ſenſorio communi mutato, & ægro reddito ortus & reproductio idearum inhibetur & turbatur; ac ſi ſimili uti hic licet, punctis & lineis deletis aut naſci nequeuntibus, nulli dantur anguli, circuli, & ſic porro. In hoc Orbe Anima ex creatoris voluntate nequit carere corpore: compreſſo Apoplecticis, Lethargicis, Catalepticis cerebro ſenſus aboletur omnis; id norunt Medici qui toties acerrimos clyſteres, rodentia ſalia, cauſtica potentialia & actualia, rudesque valde frictiones vivum per dies, ſed inſtar ſtipitis jacens corpus non magis percipere dolent ac ſi cadaveri artes illæ impenderentur. Neque

*) Vide Medic. Syſtem. Tom. I. lib. I. Sect. III. caput ſeptimum.

que ergo tum ab objectis extermis feritur cerebrum, neque ob compreſſionem is in eo ab internis cauſis oboriri poteſt motus, quo ad ideas gignendas opus eſt, at ſine ideis nullæ Mentis operationes, ea nihilominus ſuperſtite. An autem ſine exceptione verum eſt, illis omnibus qui per tempus manſerunt ecſtatici, quique per externa immobiles ſine ſenſu jacuerunt, feriari & otiari Animam quaſi eſſe deſiiſſet. Non puto ſtatim faciles annuent Practici, inter ejuscemodi ægros ſæpe ſatis verſati. Qui agonizantibus adſtitere pluribus attenti, non potuerunt non animadvertere, ſenſubus ſenſim deficientibus, natantibus jam in morte oculis, auribus ſurdaſtris, obmuteſcente lingua, pulſu parvulo, tremulo, raro, intermittente redire interdum per momenta in hanc vitam præter expectationem valedicturos brevi rebus mundanis, & plus quam ſemimortuos, ac commonefacere circumfuſos Amicos de inſtanti abitu; tranquillitatisque, ſufficientiæ, gaudiorum ineffabilium ſe fuiſſe participes illo verborum ordine nexuque, ea ſæpius eloquentia enarrare, ut cerebro laborantes, inſipientes, fatuos, delirantes, nemo ſanæ mentis habuerit. Quid de hoc vigore imaginationis, de hac rationis præſtantia & integritate ſtatuendum prudentibus erit, quam experientia loquitur, quam negare impudentis eſt, machina jam vergente ad ſui ruinam & interitum, motubusque in ea remittentibus admodum, & ægre ſuccedentibus, ac quiete inſtanti finiendis in perpetuum; de hac inquam rationis præſtantia ſeſe exerente nihilominus, & fere ſolutis corporeis vinculis tanto evidentius, & ad ſtuporem ſæpe. Pulchre mihi quidem ſcripſiſſe videtur Magnus ille

VERVLAMIVS*): *Anima in ſe reducta & collecta nec in corporis organa diffuſa habet ex vi propria eſſentiæ ſuæ aliquam prænotionem rerum futurarum, quæ optime cernitur in inſomniis, exſtaſibus & in confiniis mortis, rarius inter vigilandum & quando corpus eſt ſanum & vegetum.*

XXVII.

Natura vero Motus nobis eſt æque incognita ac materiæ, & ignoratur quomodo hæc ſimplex & iners agere queat, ignoratur productio ſenſus & cogitationis, in ente quod oculis noſtris limitatis nil videtur, quam pauxillum luti.

* * *

Quid ergo prærogativæ habent principia Auctoris talia ingenua confeſſione eloqui coacti, præ Virorum ſapientiſſimorum dogmatibus exiſtentem Animam evincentibus. Sane quod hanc ſenſu percipere non liceat, quodque ſine ejus juvamine omnis ſcientia humana manca ſit, & minus abſoluta, nemo ignorat. Neque vitio eapropter verti poteſt eruditiſſimis Viris, quod aliter demonſtrationes de Anima, ejusque facultatibus & operationibus adornandas eſſe moneant, quam de corporum naturalium affectionibus & ſtructura quæ oculis uſurpari, palparique manibus ſæpe poteſt. Sentitur autem in iis materies, cernitur extenſio, percipitur motrix vis, impenetrabilitas, electricitas &c. & tamen oculati adeo Viri qui experien-

*) in Tract. Augment. Scient. p. 118.

rientiis & experimentis abundant, qui Philoſophiam omnis generis naturalemque præcipue perveſtigarunt, qui in Mathematicis diſciplinis ſunt verſatiſſimi, ignorantiam ſuam invincibilem ſine rubore agnoſcunt ultro, & neſcire ſe multa profitentur, quæ ad accuratiorem doctrinam de corporibus pertinent. An deridendos igitur & exſibilandos ſe reputabunt facile Sophi pſychologici, quod non doctius ſeſe gerant, quod modos ſenſationis cogitationisque ignorent, quorum tamen ſcire non ſane inferius eſt, imo vero auſim dicere ſuperius, & nobilius illorum, qui ex materia ſua deducturi nil demonſtrant, cum admiſſo ente ſimplici & immateriali, eminentes illas dotes quas poſſidet evectus ultra omnes res naturales homo, explicari clarius multo ſeſe patiantur. Peccat crediderim in nobiliſſimam ſubſtantiam cogitantem & ratiocinantem, quæ derelicto & excuſſo terreſtri pulvere ſurgit, erigitur, atque rapido volatu ſeſe in altum evehit, abſtractiſſimisque contemplationibus occupatur, nullis rudioribus impedimentis coërcenda, quæque ipſi Deo ſpiritui non penitus abſimilis habenda, peccat inquam in eam, qui in vili illa noſtri particula, luto, ejus eſſentiam ponit, quod dehiſcens & nexu ſoluto a ſe invicem diſcedens male olet, & in fracidam & fœdam putrilaginem abit. Nonne nimis abjecte ſentit de ente illo tot facultatibus prædito, tot ſcientias perveſtigare apto, per omnem conditi orbis ambitum meditatione evagante, & extra ejus limites procedente, ultraque omnia ſenſibilia excurrere cogitatis auſo, qui corruptioni id obnoxium habet, qui in perfectiori quodam organiſmo, quo tamen in multis bruta nos homines anteeunt, omnem no-

ſtram præ illis dignitatem & prærogativam repoſitam eſſe contendit.

XXVIII.

Dandum nunc mihi ſaltem volo materiam organiſatam gaudere principio movente, & quod omnia in animalibus pendeant ab Organiſmi differentia & tunc ænigma de ſubſtantiis hominis ſolvitur. Una ſaltem ſubſtantia datur in orbe, & homo eſt perfectiſſima, cæteraque animalia gradu perfectionis ſuperat. Hinc natura majorem artem adhibuit in condenda machina, quæ per ſeculum poſſet indicare vibrationes cordis & intellectus. Nam ſi pulſus etiam horas non indicat, ſaltem eſt barometrum caloris & vitæ cujus ope de natura animæ judicatur.

* * *

Omnia in animalibus pendent a principio movente materiæ inſito, & circuli perennis beneficio in eadem ſuſtentato & conſervato, excepto imperio voluntatis in motus animales, excepto ſenſationis complemento, & cogitatione; exceptisque quæ inde emergunt ſuperioribus facultatibus. Gratis clamat Auctor unam dari ſubſtantiam in orbe, redivivus Spinoza; horridum hoc echo ſtrepitu ſuo equidem offendit rectius ſentientium aures, ſed evanidum in auras abit & obmuteſcit; grate reſonant & æquabili concentu ſinceras mentes adficiunt graviſſimorum Virorum effata, vocali audaciæ oppoſita, quæ fuſius referre ſupervacaneum. Corporeæ & materiali Subſtantiæ

ſtantiæ humanæ præſtantia ſua & fabricæ excellentia omnes res viſibiles ſuperanti longe nobiliorem aliam unitam voluit beneficus Creator. Immortale illud inventum Harveanum, humorum nunquam deſinens circuitus in orbem, quo corpus humanum ad tot diverſiſſimas functiones habile redditur, inexhauſtæ ſapientiæ ſpecimen præbet, nulli mortalium ſatis unquam indagandum, totumque hoc negotium ab arbitrio animæ remotiſſimum, ſi vel hæc ad ſummum quem veneratur ævum noſtrum, pertineret Medicum. Mutatur interim evidenter, & a juſto ſuo naturalique moderamine recedit ſanguineum flumen, pulſu id ipſum infallibilibus notis docente, quoties pathemate gravi laborat homo: rapidiſſimo curſu ſtatim volvitur, quando ira quis excandeſcit; a corporis cortice violenta celeritate ad interiora reprimitur, quando ſubitaneus terror invadit minus opinantem; languore inducto lento greſſu procedit, quando ſollicitudines & mœrores tenent afflictam animam; & ſic porro. Neque minus quando corporis ſolius & materiei vitio vitalis liquidi iter immutatur, & per cerebri mæandros & gyros celerius, lentius, fortius, debilius, ſineque ordine ſuccedit, Anima in ſua quaſi arce immutata haud perſtat, ſed turbatur ſimul, & a ſuetis functionibus deflectit.

At vero non proinde vires ejus pulſu explorare, rationiſque indolem ex arteriæ ictubus conjicere licet. Nil docet pulſus aliud quam arteriæ majorem minoremque vim contractilem; molem majorem minoremque ſanguinis, per ejus cavum hac vi provolutum; tempus quo vis movendam molem propellit; adeoque præter motus ipſius fortitudinem & de-

bili-

bilitatem, magnitudinem & parvitatem, celeritatem & tarditatem, nil inquirenti conſtat aliud, & ex his unice fluunt differentiæ pulſuum, cætera fundamentis ſolidis deſtituuntur.

Novam autem pulſuum theoriam exhibet Auctor, Animæ vires eorum beneficio metiri auſus, quam vereor ut unquam valere faciat, ſi vel omnes illos Galenicos pulſus myuros, ſerratos, caprizantes in ſubſidium vocaverit. Fortem ſatis & validum, magnum æque & ictuum celeritate vivacem pulſum exhibens, omniaque ſimul offerens digito Medici, quæ in eo laudari poſſunt, ſæpe invalidam, minutam, & tardiſſimam animam robuſtiſſimi corporis habet comitem, dictisque & geſtis in pulſus ſui magnifici & excellentis opprobrium ipſam prodit. Debilis micat, parvitate diſplicet, & lento reptatu procedit undulans quandoque, in manu literatiſſimi hominis, quæ tamen calamum dirigit erudito orbi præſtantiſſima largientem opera, robur judicii, magnitudinem ingenii, celerrimæ promptitudinis memoriam, viresque animæ ſummas, evidenti teſtimonio declarantia. Æque falleretur qui ex pulſu vim Animi conſtanti indagine ediſcere ſuſciperet, quam ex matula omnes hariolaturus ægritudines. Non patitur illud ens quod expers materiæ eſt, ſeſe legibus corporeis menſurari; neque abſoluta neceſſitate ſuccedens circuli Mechaniſmus, liberum, & præviſum, & electum, & decretum arbitrium mentis per momenta immutandum, indicat.

Barometrum ſi pulſantem arteriam habere voluerit Auctor, quam rectius thermometrum vocaturus fuiſſet, non repugno. Juvat quippe Medicum attentum

tentum didiciſſe ex eadem pendente manu naturalis & præternaturalis caloris gradus, tarditati & celeritati ictuum exacte reſpondentes, pyranthropometro Fahrenheitiano, & horologio Hoffmanniano minuta ſecunda monſtrante, exactis ſi inter ſe conferantur indicibus: febriumque quæ acceleratione pulſus innoteſcunt, augmentum, ſtatum, decrementum, intellexiſſe. Intereſt motum ſanguinis per cor, pulmones, cerebrum, cerebellumque præcipue, viſceraque adeo vitalia cognoviſſe ex pulſu, raroque fallentia vitæ & mortis inde elicuiſſe præſagia. Senſationes, cogitationes, abſtractiones, ratiocinationes nec calent nec frigent, nec leves ſunt nec graves, nec rarefactæ nec denſæ, nec elaſtico robore pollent nec remiſſo tono ſunt debiles, imo vero Animæ cum vita corporis nullum commercium, nil ergo de ejus viribus vel operationibus docet vitale aut barometrum aut thermometrum.

XXIX.

Non erro corpus humanum eſt horologium ea arte conſtructum ut quieſcente rota minuta ſecunda monſtrante, illa quæ minuta prima indicat & quadrantes, volvatur nihilominus. Ita nempe obſtructio quorundam vaſculorum non ſuſpendit motum cordis, ſed potius fluida tunc per minus ſpatium celerius moventur, & vim cordis augent, pro ratione reſiſtentiæ in extremis. Sic nervus opticus compreſſus non permittens tranſitum iconis non impedit auditum, & vice verſa, ceſſatio auditus compreſſa portione molli nervi acuſtici, non ſupponit ceſſationem viſus. Audit aliquis

&

& dicere nequit quod audiat, & alius nil audiens liberis linguæ nervis dicit mechanice omnes impreſſiones tranſeuntes per caput. Hæc phænomena non in ſtuporem conjiciunt Medicos naturæ hominis gnaros. Obiter dico inter duos Medicos ſemper ille eſt optimus, qui cognovit Phyſicam & Mechanicam corporis ſtructuram quique negligit Animam, cum omnibus inquietudinibus, quas movet ens hoc phantaſticum fatuis & ignorantibus.

*

* *

Amat Auctor continuationem tropi in vocibus pluribus, comparationemque corporis cum horologio proſequitur ulterius, & hic quidem feliciori ſucceſſu, quam in antecedentibus. Omni vero horologio humana opera confecto nobilior eſt & longe plura artificia complectitur Machina humana, tot ſummorum hominum, totque ſeculorum induſtria nondum ſatis perſpecta. Admiranda res eſt Machina ſe ipſam deterens, ſe ipſam conſervans, ſe ipſam propagans; ſuaque vitia ſi ſalva adhuc compage elaterum rotarumque principum emendari queant, aut emendans ipſa ſola, aut accedens artis juvamen quod ſine ejus vi nil poteſt, totum dirigens & adornans. Febris ſola ſufficiens veriſſimi aſſerti teſtis, mechanice orta, & mechanice ſui ſanationem juvans. Nata in capillaribus ſtaſis ſanguinis efficit, ut per liberos canales, arctiusque tum redditum ſpatium celerius moveantur fluida, citiusque retrogreſſa ad ipſum cor, ejus vires intendant, quod docte Auctor explicat. Addi ſaltem debet irritatio nervoſa, maxime ſi in ſenſibilibus membranis hæreat ſtaſis, quæ cordis actionem

nem multo adhuc fortius inſurgere facit; nam minuta ſtaſis paucioresque canales obſtructi, ſi liberorum copiam in corpore conſideraveris, non eam excluderent pulſuum celeritatem, vimque cordis adeo increſcentem, plura ſtimulus poteſt. Quicquid ſit, nata vel ſtimulo vel obſtructione febris, aut ex utraque cauſa ſimul, ſibi ipſi eſt remedio, quieſcentes humores & vaſa oppilantes, & nervulos tenſione laceſſentes, auctiori appulſu in motum iterum ciens, & circulationi aptos reddens, donec libertate canalium reſtituta, tranquilla iterum & placida ſuccedat circulatio. Nervorum laborantium effectus quod attinet ab Auctore relatos, nervi ipſius male affecti functioni prorſus reſpondentes, ſane eos veriſſimos experiuntur Medici. Vix ipſos in compendio melius explicatos videas quam ab Excellentiſſimo HALLERO. Digniſſimus locus eſt qui totus hic legatur: *Cerebri medulla vellicata, irritata, late per omne corpus diræ regnant convulſiones, nec ulla eſt exceptio a partis irritatæ diverſitate. Idem fit ſi medulla ſpinalis irritetur. Encephalo vero ipſo compreſſo, ubicunque id fit, pars aliqua corporis motu ſenſuque privatur, quam eam omnino eſſe quæ nervos habet a compreſſa parte cerebri, arguunt experimenta in vitiis determinatæ ſedis cerebri, in quibus compreſſa origine nervorum, in exemplo opticorum viſus perit, auditorio morboſo auditus, aut motus alterius brachii, cruris, lateris, pharyngis alterius. In medullæ ſpinalis læſionibus evidentius eſt eam partem aut convelli ſi irritata, aut reſolvi ſi compreſſa fuerit, quæ nervos habet ortos a parte læſa medullæ. Majori vero aliqua parte cerebri compreſſa, a ſanguine, aqua, ſcirrho, oſſe impacto, cauſa mechanica,*

aut

aut ſequitur perpetuum in Animæ operationibus vitium delirium, vertigo, mania, ſtupor, aut immedicabilis ſopor. Eadem omnino mala abeunt remota cauſa comprimente. Denique læſo cerebello, corpore calloſo, & maxime medulla ſpinali in collo continuo mors conſequitur, cum ab iſta ſede imprimis oriantur cordis nervi *). Sat certum eſt ab his cauſis pendentia vitia ſi medicabilia fuerint, neque caſu ſanentur, vix ſanari, niſi a Medico hac notitia cauſarum phyſico-mechanicarum ſatis inſtructo, atque hunc multis modis ſuperare illum, qui odioſa & inutili ad tergiverſantem & errantem naturam provocatione, nil agit, atque inveniendis convenientibus remediis impar habetur. Sane quicquid poteſt Medicus id poteſt machinæ ope, cum qua ſola ipſi res eſt, quamque adeo cum omnibus motibus eorumque legibus exactiſſime debet habere cognitam, neque inſtrumenta illa pharmacorum nomine venientia, quibus vitia machinæ inhærentia tollere, eandemque ab interitu vindicare nititur, aliter agunt in illam, niſi neceſſitate phyſica & mechanica; neque poſſibile eſt formare veras curandi indicationes niſi mechanicas. Non ſpectat ad Medicum Anima, neque agunt pharmaca in Animam. Videant igitur in ea luce in quam hodie collocata ſunt principia Medicinæ phyſico-mathematica quomodo ægrorum rebus conſulant qui Animam præſidem vitæ & ſanitatis habent, & in morbis ſæpe motus vitæ adverſos, ſalutares ducunt, ſapientique naturæ conſilio imprudenter ſatis adſcribunt, quosque ſopire debebant tolerant & juvant, ſalutem humanam otioſi ſpectatores ancipiti eventui committentes.

At

*) Phyſiol. §. 379.

At vero quid dicendum de morbis Animi? ardua hæc quæſtio eſt cui ſolvendæ vix paria habebuntur Auctoris noſtri principia. Dari tales & numeroſos ſatis; ſæpe eos oriri nullo vitio corporeo præſente; corpus tamen lædere mirifice; neque huic medelam ſperandam eſſe, niſi affectus ejus ſanitati hoſtilis inducto alio exturbatus fuerit; ſatis norunt Medici clinici, & inter mille tædia quotidie experiuntur. Qua vero ratione Anima prorſus incorporea in corpus operetur, ego prorſus non intelligo, atque hoc ipſum cum Clariſſimo THOMSONO in conditoris beneplacitum in ſolidum repono, intelligentiam ſeculo futuro relinquens. Nexus quippe hujus ſolutio univerſam Philoſophantium gregem hactenus transverſim egit, & etiamnum credo, in ſeculum aget *). Nemo interim dum facta ubique proſtant, millenis experientiis impudens obloquetur, mutari corpus & ſua damna pati, ſi a tranquillitate receſſerit anima. Mœror diuturnus quot malis mulctat miſeros homines! Deploret aliquis rei familiaris anguſtias, amicorum liberorumque flebilem jacturam, deſideratiſſimæ & amabilis Conjugis præceps fatum, aut ex aliis fontibus qui largi ſcaturiunt in hac miſeriarum valle, nato dolore noctes atque dies angatur. Languet ſtatim viribus ſenſim exuendum & depauperandum corpus. At qua mole, qua pungente & ſcindente figura, tot mala patrat, nervosque irritat & vellicat vivax deſiderium? quomodo collapſa, timida, inermis, & actione deſtituta, proculque aufugiens ſpes nocet viſceribus ſingulis, & abſentia ſua ſanitati infenſa eſt, atque præſentiſſimas noxas inducit? Quænam

*) diſſ. de morbis Animi.

nam triſtibus ærumnis & ſollicitudinibus materia? qua vi, quo impetu movent materiam humani corporis, ejusque naturales motus immutant, turbant, pervertunt penitus? Quo ſtimulo vitæ tædium commovet vitale flumen, eoque curſu rapido acto per capitis interioris vaſa ſomnum arcet, & pertinaces inducit vigilias? An corporei quid & materialis ineſt pathematibus? pervellem ſane de ejus indole, & proprietatibus edoceri accuratius! Attamen machina humana male afficitur pathemate, & ni iners id reddatur, & vividus ſemper obtundatur ejus impulſus, actum erit brevi de ejus integritate, ſuccumbetque tandem plura ferre neſciens deſperata vita. Offerant ſeſe officioſo mœrentique ſimul Medico cum omnibus ſuis theſauris Naturæ regna! Præſto ſit omnis Galenicorum, chemicorumque medicaminum apparatus! Eligantur præſtantiſſima Cordialia, Nervina, Analeptica, Corroborantia, & ne aliquid deſit exhibeantur ſpecies lætificantes Galeni ex appoſito vehiculo, aqua magnanimitatis! Si hæc non juverint accedatur ad hypnotica & ſedantia pharmaca. At bone Deus! adeo imperioſum eſt illud affectuum *ενορμουν*, adeo obſtinatum ſeſe gerit id impetum faciens, ut nullo nec noſtrate nec exotico papavere ſeſe pacari patiatur; aut interruptam quandoque quietem indulgens, ſubito iterum miſerum expergefaciant; adeo mordaci roſione cor cum viſceribus invadit, nervoſamque compagem laceſſit, ut demulcentia ex Pharmacopolio eludat omnia. Serio loquor, aut immateriale eſt illud exorbitantis & indomandi affectus lancinans acumen, aut materiale. ſin prius, nil mirum, ſi otioſa & fruſtranea obſervetur non agens ultra

mate-

materiam omnis materia medica; ſin poſterius, debent aliquid poſſidere & ſuggerere ampliſſima hujus promptuaria, quo obtundatur & enervetur, namque nondum innotuit naturale & corporeum irritamentum, cujus non detur vel ſpeciale vel generale minimum antidotum. Nimis vero quotidianis experientiis conſtat Medicum omnibus ſuis formulis laterem lavare, quin corporis ſolius morbi alioquin cito & certo ſanabiles, radices agunt profundiores, omnemque laudatiſſimam medelam detrectant, niſi Animo deficiens reddatur quies atque tranquillitas. Atque o utinam morbos curaturo cum ſola Machina res eſſet Medico! quam felix ſæpe laboraret in corrigendis ejus vitiis, quam longe abeſſent illa quæ ærumnoſam & amarulentam reddunt Praxin clinicam! Verum computo facto expertus reperit THOMSON morborum muliebrium duas ad minimum tertias, ſexus virilis unam ſaltem a mente primario originem ducere. Vah quot ærumnis & miſeriis noctes atque dies illi ſimul Medico languorem inducunt! quot ex hoc capite ipſius Eteodromos, ſi Lentiliano more conſignare ægros voluerit, Martyrologia debent ingredi! Animarum levitatem, inconſtantiam, pervicaciam, teneritudinem, ſenſibilitatem, inurbanum forte eſſet ſi ſtoliditatem adderem, hæreditaria ſæpe aut morboſæ educationis vitia, toties probatiſſimorum pharmacorum, præſtantiſſimæ methodi, effectus fruſtrantia, acutiſſimis & ſonticis morbis curatu longe difficiliora cenſeo. Quis guttulis & pulvillis radicatis illis ægritudinibus verborum lenociniis vix auſcultantibus medebitur? Si exuta ſua honorabili perſona Proteiformem Comœdum expreſſerit Medicus, in

omnem affectum paratus, ridendoque aliquando verum eloqui opportuno tempore auſus vix ſæpe ſuo fine potietur. Deſperatiſſimos e contra quosque ægros, & ſæpe ultra omnem therapiæ potentiam locatos viſos, & a Medicis pene derelictos, præter ſpem horum convaleſcere videas interdum, & eapropter ſaltem, quod conſtantia mentisque compoſita ſerenitate, rerum exitum quieti expectent, a futuris proſpera quævis ſecuri ſperantes, ut ex antiquis SENECAM & BOETHIVM, ex modernis RÜDIGERVM & HOFFMANNVM præceptis ſuis philoſophicis tranquillitatem docentes, his auxiliatrices porrexiſſe manus crederes. Atque quam mirabiles effectus producit ſola, in expertæ dexteritatis & ſucceſſuum fama inclytum Medicum, fiducia! maxime ſi quod BAGLIVVS notat *) ille ſit in ſermone potens & artium ſuadendi peritiſſimus, verbisque dominari vitæ ægrotantium gnarus. Tantam enim vim dicendi facultate ſuis remediis adſtruit, ut interdum abjectisſimis difficiles morbos ſuperet. An eam in medendo felicitatem, ex attributis materiæ & legibus mechanicis licet deducere? quæ vocalium & conſonantium miſcela adeo potens, ut terrificas diræ mortis imagunculas cerebro altius infixas, ex eodem ejiciat? quænam aëris commoti undæ ſonoræ tantum valent, ut elaterem languentem fibrarum vaſorumve omnium erigant, aut motuum tumultus componant & pacent. Optime de curatione morborum Animi laudatus modo BAGLIVVS fatetur, *omnem pene medelam in moralibus virtutibus patientia, fortitudine, pru-*

*) de medendis Animis morbis Praxeos Med. lib. I. cap. 14.

prudentia, tranquillitate, repoſitam eſſe. Quis vero harum habitus, qua mole, qua figura, per quas vias & quomodo illæ devolvuntur ad ægrotans cerebrum? qua ratione ibi atras curas expellunt, atque placidam quietem inducunt? Vix harum omnium geneſi Machina apta ſufficit, vix mechanicum aliquid curat morbum Animi, niſi forte corpus primo laboraverit aut laboret propria ægritudine. Oblivio eorum quæ affectum tyrannum & tortorem alunt, quæ mentem pathemati inhærentem vel invitam avocant, ac objectorum varietate ad alia trahunt, una ſunt fida & efficacia remedia. Peregrinationes, Venationes, Ruſticationes, Saltationes, Muſica, Confabulationes cum Amicis, vini generoſi hauſtus ad hilaritatem, luſus, theatra, ratiocinia philoſophica toties juvant, & his omnibus nil proficientibus ſola chriſtiana religio fert opem qua inſuperabiles animi morbos ſanatos gratus agnöſcit & egregie docet Alexander THOMSON.

XXX.

N*egligi vult eos* Auctor *qui rident Philoſophos Animalia pro Machinis habentes ſeque aliter ſentire* dicit. *Carteſium omni ex parte venerabilem Virum futurum fuiſſe* affirmat, *ſi experientiæ & rationi juſtum ſtatuiſſet pretium. Licet vero errores commiſerit, eum tamen cognoviſſe* dicit *Naturam Animalem, & demonſtraſſe primum Animalia eſſe meras machinas ſicque illos reparaſſe. Quicquid vero de duabus Subſtantiis docuit Carteſius, id feciſſe eum in gratiam Theologorum* putat *quos ſuperbas equidem ſed humi repentes Machinas* vocat, multisque ſcommatibus, & convitiis conſpergit.

* * *

Inter juſta elogia quæ CARTESIVS ex alio capite laudatus ab Auctore jure ſuo promeretur, ego quidem hoc non ultimum certe habendum ducerem, quod differentias omnium eorum quæ ad corpus, & quæ ad animam ſpectant, egregie ſtabiliverit, quanquam animalia bruta Machinas ſaltem habuerit. Idque veritatis ſtudio ductus ita perfecit, non ut Theologorum gratiam iniret. Ex odio certe quo erga hoc hominum genus totus flagrat Auctor, nullum hypotheſi ſuæ conſtans & firmum orietur fundamentum, ſi omnes ereptas orbi lætaretur, aut exilio mulctaſſet perſonas, manerent res. Nil nocent Reipublicæ, nil mali patrant docti, honeſti, cordati, & vitæ integritate conſpicui Theologi; tales vero inveniri per Dei gratiam bene multos, vel ad ſummum apicem ſurgens invidia & obtrectatio negare nequit. Sit omnis religio, quod aſſerere ſtolidum eſt, nil niſi lepidum commentum, eum in finem ſaltem utile, quod vulgo hominum fræna injiciat; erunt tamen Theologi boni cives, commodisque Societatis promovendis præ multis aliis aptiores; verbaque publice ad populum facientes affectubus motis declinabunt turbas, communem ſocietatem conſervabunt, officia ſingulos edocebunt, pacem & concordiam firmabunt. Si admonitiones hæ deſint, ſi religio amplius non ponat obicem, quid tandem effrænatam & ruptis habenis debacchantem male agendi libidinem æqua potentia coërcet? Ponderatu digniſſima dicam! quid temerarium, audacem, in perpetrandis facinoribus exercitatum, excuſſo omni rationis obloquio, ſuperatisque

tisque omnibus minacis vindictæ terroribus furibundum & forte dum neceſſariis adeo & amicis tandem abominabilis eſt, vitæ ſuæ pertæſum nebulonem retinet, quo minus abeat percuſſor & ſicarius ſummoque Principi ſuo arbitrio expoſito execrabili molimine violentas inferat manus, futurus dein αυτοχειρ, & pœnas tanti delecti eluſurus; niſi internis & abditis monitis Deum dari clamantibus retrahatur; niſi naturali ejus cultu coërceatur, & ſummæ ejus Majeſtatis veneratione ductus, eum revereatur attonitus, qui ipſius ſimulacro in his terris indutus incedit. Illos ergo qui exiſtentiam divinam vivacibus notis ubivis obviam, & in latentibus cordis humani receſſubus ſeſe exerentem fuſius inculcant; qui ad abſolutiſſimum hoc exemplar vitam inſtituendam hortantur, qui olim rationes reddendas fore iis qui ſecus faxerint, argumentis plauſibilibus eloquuntur, ſive vera dixerint (vah nimis vera & veriſſima) ſive fabuloſa, illos inquam omnes bene mereri de ſalute publica crediderim; illos omnes terribiles milites *), vigiles cuſtodes, fidiſſimos ſatellites, vitam & incolumitatem ipſorum ſummorum Principum certius tueri, atque magis tuta præſtare ſacratiſſima ipſorum capita conſtanter mihi perſuadeo, quam numeroſa loricatorum ferroque & igne inſtructiſſimorum virorum agmina. Ipſe qui Imperanti debetur cultus, ipſe ſpiritus quem is trahit religione ſuſtentatur; minus fructuoſum eſt ſummis commodis illud: *oderint dum metuant*, non glorioſius ſaltem multo, ſed utilius eſt, coli & amari,

*) ita p. 69. Theologos appellaverat, ubi ſi cum bellis theologicis ii abeſſent orbi ab Atheiſmo felicitatem promittit.

amari, quam timeri. Injurius is eſt in excelſam diadematis auctoritatem, neque fidelis ſubditi partes explet, qui religionem obiter habet; multo exactioribus, & multo pluribus erga ſuperiores officiis obſtringitur Chriſtianus, quam Atheus. Si vero eapropter ſordeat Auctori Theologorum nomen, quod hi cum eo facere prohibeantur, oſor erit maximæ partis generis humani, inclytoque ordini Medicorum iraſcetur brevi; Nam quo ſapientiores & Machinæ humanæ magis gnaros offendet, eo pertinaciores & fortiores habebit adverſarios. Abavo verbi divini Miniſtro ſatus nullam amplius cum Theologis intercedentem neceſſitudinem, nullam cognati ſanguinis propinquitatem alo, quæ defenſionem adeo ſtrenuam flagitaret. Bonis & probis Viris quicunque illi fuerint, impune inſultantes mihi ipſi graves experior, per naturalem averſionem lædendi inſontes, quod ipſum totus horreo. Ægre ob eam ipſam quam dedi rationem eloquor, ſed veriſſimum tamen habeo, infimi ſubſellii Concionatorem pietatem & virtutum ſtudium Auditoribus pro captu inculcantem, immo Ludimagiſtrum ſuburbanum puerorum cereum & flexile ingenium formantem, timoremque Dei & religionis exercitia a teneris inculcantem ſedulo, atque educatione prudenti homines fingentem honeſtos & probos, quibus ſemper hærebunt olim inſita principia, utiliorem ſeſe præſtare Reipublicæ, quam eruditione ſolidiſſima abutentem, luxuriante ingenio, turgida ſentiendi libertate, litteriſque elegantioribus Deum & Animam impugnantem, ſeducique volentes & amantes proprio inſtinctu comite ad devia detorquentem, quibus recto itinere ad arbitrariam actio-

num

num licentiam, ad affectuum extra oleas vagantium labyrinthos, tandemque ad æternæ infelicitatis abyſſum itur.

XXXI.

Nunc autem evictum putat Auctor *eſſe Machinam, ſentire, cogitare, diſtinguere bonum & malum, natum eſſe cum intelligentia & inſtinctu morali, & tamen nil eſſe niſi Animal, non magis fore contradictoria, quam eſſe ſimiam & pſittacum atque ſcire delectari.* Illuſtrat hoc methodo conſueta, genioque ſuo prurienti accommodata, ejurato licet Deo ejusque cultu, Deæ tamen Veneri lubentius ut videtur ſerviens, *divinis* ipſius quas vocat *deliciis* irretitus (hanc quippe cum Baccho & Cerere ſua Numina, ſuosque Penates, tanto ardentius plerumque colere conſueſcunt Athei): *Quis divinaſſet*, inquit, *a priori, quod guttula ſpermatis ſub concubitu erumpens crearet ſenſum voluptatis divinæ, & quod inde oriundus foret homuncio ſuo tempore ad ſenſum ejusdem voluptatis habilis futurus. Credo cogitationes æque non pugnare cum materia organiſata, ſed referendas eſſe inter ejus proprietates ad electricitatem facultatem motricem, impenetrabilitatem, extenſionem.*

*
* *

Ego vero pace Auctoris, nixus ſolidiſſimis argumentis aliter credo: & cum Illuſtriſſimo Medico Præceptoreque meo HOFFMANNO ita judico: *Cum perceptio, appetentia, averſatio, cogitatio, æſtimatio, liberrima actio, neque a figura, neque a ſitu, magnitudine, nexu, unione, ac diſpoſitione fluidi, vel ſolidi, neque*

a virtute nitente & renitente &c. pendeat; opus utique erit, ut præter Mechaniſmum ſive coordinationem motuum, qui ex ſtructura & ſitu partium profluunt, aliud quoddam licet ſenſubus minus obvium principium quod ſentiat & percipiat motus, eosdemque dijudicet, ſupponamus *). Securus hanc examini cui hactenus Auctoris noſtri de motu humanæ machinæ placita ſubjeci, impono coronidem, & non ſine emphaſi dicendis de hoc argumento finem facio; meaque magni Medici ſigillo quaſi munita, ad omnem hominum Eruditorum conſeſſum defero. Annuent credo Medici a Stahliana ſchola remoti omnes, motus vitales & naturales unice pendere a ſola Materia & Machina, voluntarios quos vocant in ſe ſpectatos non minus eſſe Mechanicos, ſed ſequi arbitrium mentis, atque vel ab ea ipſa, vel ſecundum ejus intentiones, & præfixos fines ſuccedere. A nullo ergo corporis motu abeſt neceſſitas & lex mechanica, ſaltem arbitrariis relationem arctiſſimam & convenientiſſimam intercedere cum voluntate & noluntate, cum appetentia & averſatione Animæ, illorumque attenta conſideratione manifeſte apparere exiſtentiam Entis a Machina diverſi, extra dubium collocatum habet is, qui a præjudiciis liber eſt. Fac vero omne corpus humanum cum motibus ſine exceptione omnibus eſſe Machinam, ſi eo ſis ingenio ut voluntatem mechanicam concipias, & tum tamen Machina humana equidem poterit exiſtere ſine Anima, ſed Machina humana nondum erit homo: Namque nec ſui, nec rerum extra ſe locatarum, nec differentiæ inter ſe & externa erit conſcia; hoc omne quippe ſuperat Vires Machi-

*) Med. Syſt. Tom. I. lib. I. ſect. III. cap. 10.

Machinæ, & neceſſario ponit exiſtentem Animam. Mihi vero nunc perinde eſt, qua ratione ſubſiſtere Clariſſimi Viri unionem, & commercium Animæ cum corpore ſeſe habere ſtatuerint, namque, quod firmiter credo eventurum, ſi aliquando valere juſſo Syſtemate cauſarum occaſionalium, influxus, & harmoniæ, novum iterum condat Poſteritas literata & ingenioſa, manebit tamen in multis ut HOLLMANNVS peculiari diſſertatione commonſtrare laboravit Anima ſibi ipſi ignota, cum de corpore adeo & materia Eruditiſſimos quosque premat & premet in multis invincibilis ignorantia. Quietus ego patiar diſputationes, vel pro harmonia vel pro influxu multo fervore ſuſceptas, ſaltem utraque exiſtere animam præſupponunt, & probant. Omnem vim moventem Animæ derogavit neque adeo in voluntarios motus, quos tamen ſecundum ejus arbitrium præſtabilitos evenire nullus negat, ullam ipſi potentiam reliquit Clariſſimus SCHREIBERVS, Fautor Harmoniæ quem eleganter & docte de ejus exiſtentia diſſerentem audivi attentus, cum Vratislaviæ commoratus *Argumentum novum hypotheſi influxus phyſici oppoſitum*, occaſione ſcripti a Clariſſimo KNVTZENIO, Profeſſore Regiomontano ſtrenuo influxus defenſore, ulterius *evolutum*, ederet. Multa vero hic habet pro ſuo ſyſtemate formando egregia, & ſolida valde. Neque quæ Medicus HOFFMANNVS harmoniæ oppoſuit *) otioſa habuerim, qui ejus inventione non magis perſpicue tradi commercium animæ cum corpore, quæſtionemque cur certas voluntatis determinationes certi ſequantur motus, non magis intelligibili

*) diſſ. de fato phyſico & medico.

bili ratione ſolvi, ac antea ſolvebatur haud certe præter rationem monet, idem per idem ita explicari affirmans. Taceo lepidas ſed penſitatu dignas objectiones BAYLII. Melius concipitur harmonia Medico Philoſopho, quam Medico Clinico, quem vel invitum & convictum ſibi toties viſum, occurrentia pro influxu militantia phænomena avocare ab illa videntur attendentes ſat ſæpe & ſat accurate judicent!

XXXII.

Senſu & motu ita ut flagitabat ipſius hypotheſis expoſito, ad generationem ſe convertit Auctor, quam ſatis concinne exponit hunc ferme in modum. *Conſtat Obſervatione univerſali Principium hominis eſſe vermem animalculaque omni guttulæ ſpermatis innumerabilia ineſſe, docentibus* HARTSOECKERO, *& aliis gravibus Auctoribus, adeo ut de hac re ſoli fatui dubitent. Ex ſemine itaque coitu emiſſo animalculum vivacius reliquis intrat ovulum, ubi primo nutritur. Ovulum hoc deinde per tubam intrat uterum, ubi radices agit, humanumque hoc non differt ab ovis fœmellarum inter animalia aliis, niſi quod amnii membrana magis dilatetur, & non dureſcat. Homo vero quemadmodum pullus, ex ovo, ita ex membranis quibus cingitur, ſuo tempore mechanice exitum molitur. In embryone 4. 6. 8. 15. dierum microſcopio inſpecto conſpicitur ſolum parvulum caput, cum duobus punctulis nigris, quæ oculos notant. Ante hoc tempus ſaltem videtur informis pulpa medullaris, quæ eſt cerebrum, in quo formatur ſtatim origo nervorum ſive principium ſenſus, & cor quod per ſe jam in hac pulpa facultate*

pul-

pulſandi gaudet, punctum ſaliens Malpighio vocatum ac jam partem vividi ſui motus debet influxui nervoſo. Deinde capiti elongato adhæreſcens conſpicitur thorax, in quem cor deſcendit, fixam ſedem ibi nanciſcens. Porro abdomen comparere incipit, diaphragmatis fornice a thorace ſejunctum. Utrinque molis dilatatu produnt brachia, manus, nates, femora, pedes vegetatione plane ſtupenda. Hic capilli idem ſunt, quod plantis flores & folia. Ubique regnat idem naturæ luxus. Plantis ſuus ſpiritus rector locatur, nobis anima, illa quinta eſſentia hominis.

*
*   *

De animalculis tractans Auctor obliviſcitur LEEVWENHOECKII cui poſt Medicum quemadmodum HAMMIVM inventionis gloria præ HARTSOECKERO debetur, licet hic illi ea de re lites moverit, ſibique eam tribuere voluerit immerito a nonnullis defenſus. LEEVWENHOECKIO aſſenſere ſtatim oculati teſtes redditi clari in Anglia, Italia, Gallia, Belgio, Germania Viri, qui enormi & innnumerabili copia animalcula ſtupendæ exiguitatis, piſciculos & anguillulas referentia, in ſpermate hominis aliorumque animalium viderunt, vixque hodie aliquis huic veritati jure contradicit. Emiſſo igitur ſub coitu in vaginam uterumque ſemine, calido tum & energetico, ac innumera animalcula in quavis minuta portiuncula continente, unum reliquis vivacius fortiusque ingreditur ovulum, vivens animal, ideoque cerebro ſuo & corculo dum incola veſicularum ſeminalium erat, jam inſtructum, ibidemque nutritur, atque

in

in eodem fluctuantibus vaſculis ſuis accreſcit. An vero per unam ſemper & peculiarem ad hoc iter patentem viam ovulum ingrediatur animalculum; an porulus hic valvula negante animalculo exitum munitus ſit; cur millia profundantur cum genitalibus theſauris, uno robuſto vermi ſuffecturo; an bello inteſtino animalculorum oborto adultius & potentius (ut inter natos & adultos homines fieri conſuevit) opprimat & ſuffocet reliqua; an plurima immatura ova petant, nutritioni inepta, atque ita ipſis moriendum ſit; an viam emetiri ad ovulum non ſatis valida nequeant; aut cur excepto uno cæteris omnibus negatus ſit honor adoleſcendi in hominem, non inquiro. Caliginoſa nocte premitur poſt tot elegantes obſervationes & premetur credo Anthropogeniæ ſtupendum negotium, multaque quæ poſt vera & certa obſervare ſibi viſi ſunt LEEVWENHOECKIVS & HARTSOEKERVS quam proxime ad figmenta accedunt, cum demonſtrari omnino nequeant. Id autem extra dubium collocatum, ovarium humanum cum volatilium ovariis omnino comparationem admittere, ovulumque illius horum ovis exacte ſimile eſſe, ſi ea ſpectes quæ pullum ſolum & fœtum humanum ſeorſim recipiunt. Nimirum in centro vitelli colliquamentum eſt, in quo continetur pullus embryo, idque ſacculo exiguo coërcetur & involvitur, qui dein in membranas amnion & chorion abit, propriumque ejus domicilium efformat; vitellusque placentam ipſi præſtat, cui vaſa umbilicalia implantantur, quæ calore incubationis ſubtiliſatum albumen deferunt ad pullum, ipſiusque nutritioni id impendunt. Omnia eadem ratione ſe habent in ovulo embryo-

nem

nem humanum continente, ſi ab albumine & cortice recedas; non opus id habebat albumine, nam hujus ovi humani vitellus placenta, ſecus ac in gallina connectitur ſi ita loqui licet incubanti matri, per uterum, & ex eodem advectos nutritios ſuos albumini ſimiles haurit, & ad fœtum per vaſa intermedia defert: liquor tamen amnii quo fœtum ultimis menſibus per os nutriri ſtatuunt cum HEISTERO nonnulli, albumini analogus eſt, ſed intra amnion continetur non extra illam membranam, ut in volatilibus. Neque humanum ovulum cortice indigebat, hunc enim præſtat id circum circa defendens a vi externa ipſe uterus, cætera vero ut dictum coincidunt. Fallitur vero Auctor quando corticem ovorum quæ ponunt Animalia volatilia pro amnio indurato habet, profundius enim ſub putamine & poſt albumen in medio vitelli amnion pullulum cingens hæret, ex ſurculo parvulo enatum; putamen autem prorſus non ſpectat ad ipſum ovulum, ſed ſub incubatu ſaltem id tutum præſtat aliter lædendum facile, neque in ovario adeſt, ſed ovo ex eo in uropygium delato, & aliquamdiu ibidem aſſervando antequam ponatur, aliquot antea horis demum accreſcit. Verum multum ſimilitudinis inter carinam Pulli a MALPIGHIO deſcriptam, quæ paucis ab incubatu gallinæ a gallo imprægnatæ horis jam conſpicitur in ovo, & ipſum animalculum humanum eſt; nam illa ſenſim magis in longum extenditur, vermiculumque refert exacte, atque ſi adſpiciantur embryones humani minutuli, aut eorum icones, conferanturque viſi aut delineati carinæ pulli, eandemque utrinque configurationem obtinere obſervabitur. Atque ut calore & fotu incuban-

cubantis Gallinæ (nam præter illum hæc nil confert) animalculum a gallo coëunte ſuppeditatum, ovulumque ſub imprægnatione ingreſſum, in pullum ſenſim evolvitur, ita fotu & nutritu fœmellæ humanæ, vermis primo oblongus cui cauda medulla ſpinalis & ſpina dorſi eſt, in ſuo ovo dilatato pedetentim explicatur, artubusque inferioribus & ſuperioribus ſenſim ex tenſu apparentibus, homuncio evadit, increſcens ſingulis diebus, donec ſuam maturitatem obtineat, minore tamen incremento quo remotior ab origine. Omnia hæc accuratiſſime exponunt, in Anthropogenia tradenda ſolertiſſimi Viri RVYSCHIVS, KERCKRINGIVS, LEEVWENHOECK, GRAF MAVRICEAV & alii, qui embryonem magnitudine granuli papaveris, milii, grani hordei, formicæ, apis, fabæ, & ita porro æquantem viderunt. Plura ſi adderem nimis longus forem, aberraremque a ſcopo, id autem notare debeo mirum mihi videri Auctorem corculi minutiſſimi embryonis ſeu puncti ſalientis MALPIGHII jam ſua ſyſtole moti mentionem injicientem, hanc ad liquidum nervoſum jam eo tempore influens referre, oblitumque fuiſſe ſe in ſuperioribus id ad cordis motum nil facere, aſſeruiſſe, ſolique contractili virtuti fibrarum omnia tribuiſſe. Sed verum eſt, cerebro nervisque indigere functionem cordis, corde functionem cerebri & nervorum; unum ſine altero non concipitur; unum alterius effectus; uterque tamen effectus cauſa ſua prior. Stupet literatiſſimi Phyſiologi perſpicacia motum machinæ humanæ ab ovo repetens, motoremque primum in eadem fruſtra quærens. Boni Medici omnes, niſi fuerint profani oſores Creatoris, (ſed nullum ex veris

ris Eruditis talem novi) agnoſcere coguntur omnipotentem manum, adorandamque flexo poplite & infinitam ſapientiam. Perpendat Auctor Generationem hominis meditans, cum ſuis, quæ memoratu digniſſima hac de re ſcripſit inter alios doctiſſimus PITCARNIVS *). *Certum eſt*, inquit, *cor & corpora medullaria iisdem viribus & eodem modo operantibus ad ſe mutuo ſemper referri, & relata fuiſſe eodem modo in prima cordis contractione quo in quavis ſubſequente referuntur. Quapropter vires cordis corporisque medullaris ſimul ſunt ortæ, ſimulque vigent, animalque proinde nullum unquam mechanice producitur, Et ex hiſce deduco liquorem a mare deciduum utero ovoque fœmineo animal inferre circulatione ſanguinis atque vitæ munere jam ante potitum. Atque neſcio an qui ſe Theologos vocant Deique interpretes, quicquam protulerint aut Deo dignius aut humano generi glorioſius.* Si hæc intento quaſi digito nondum perducant ad Auctorem ſummum humanæ machinæ, en Duce Bœrhaavio rectiſſimus ad eum pandatur acceſſus: *Creatoris*, ait, *Omnipotentia corpus noſtrum ſimul fecit. Mechanica noſtra docet explicare machinam ſucceſſive per partes factam. Machina vero quæ uno eodemque tempore ſimul nata eſt, per mechanica demonſtrata explicari non poteſt, ea enim non fabricata, ſed creata eſt* **). & alibi. *Quoties unam corporis particulam ſeorſus excutere artifex contendit, toties aliarum ſimul notione ſe egere experietur. Non finis hic, non*

*) diſſ. de circulatione in Animalibus genitis & non genitis.

**) Prælect. in inſtit. Tom. IV. pag. 613.

non principium, ſed circulus eſt humanum corpus, in quo initium, medium, ultimumque, ubique eſt idem; neque poſterior pars ab altera prius nata hic gignitur, at natæ profecto omnes ſimul - - - . Minimæ particulæ productio toto eget corpore jam prius confecto - - - impoſſibile naſci capillum unicum de corpore, niſi vaſa ibidem, inſtrumenta, humoresque, præſto ſint, quæ huic ipſi gignendo jam in originis primordio præfecit Naturæ Faber *).

Cæterum quæ de analogia plantarum & animalium, ac ſtructuræ & vitæ utrorumque ſimilitudine habet Auctor cum grano ſalis intelligenda. Sunt plantis partes ſolidæ & fluidæ, ut animalibus. Solida compages tota vaſculoſa aut ex concretis vaſis oriunda. In omni ſuperficie hiant oſcula vaſorum abſorbentium quæ hauriunt humores & aërem ceu tot tracheæ; porro ipſis vaſa ſunt quæ bibitos humores vehant per omnes partes rarefactos & propulſos a calore; alia dein quæ eos mutant in indolem plantæ ſpecificum, alia quæ mutatos aſſervant, alia quæ proprios plantæ humores exhalant; idem quoque luxus naturæ in ſeminibus plantarum ac in animalculis ſpermaticis animalium. Multa vero in plantarum & animalium œconomia a ſe invicem valde recedunt, ut ſtatim videbimus, atque præcipue Plantarum vapor halituoſus, ſpecificus, ſubtilis, tenuis, ſummeque volatilis quem Alchymiſtæ olim ſpiritum rectorem vocarunt, cum Anima humana male admodum ſeſe comparari pateretur.

XXXIII.

*) Oratione de honore Medici Servitute pag. 13. 14.

XXXIII.

Ita uniformitas naturæ apparet, & analogia animalium & vegetabilium, hominis & plantæ. Forſan dantur plantæ animales. En id omne quod de generatione ſcitur, nempe quod partes ſeſe invicem attrahant, quod factæ ſint ut invicem uniantur & ſuam quævis locum occupent. Quia autem experientia in his ſubtilitatibus nos deſtituit, nil ſupponam ſed potius id quod non in ſenſus occurrit tanquam impenetrabile myſterium conſiderabo. Crediderim ſemen fœminæ ad generationem eſſe inutile cum raro ſemen hoc & virile ſibi invicem obviam incedant & ſub congreſſu ſeſe mutuo contingant. Quomodo autem ſine hac mutua relatione infantum externus habitus explicabitur modo patrem modo matrem referens? Sed defectus explicationis non præponderat rem ipſam. Mas videtur præſtare omnia. An coordinatio partium in germine & in verme maris ab æterno procedit? Sed omne hoc ſuperat Obſervatorum diligentiſſimorum aciem. Non poſſunt hi magis judicare de formationis mechanica & evolutione corporis, quam talpa de via quam percurrit cervus.

*

* *

In illa uniformitate animalium & vegetabilium quam loquitur Auctor, multa tamen etiam obſervatur difformitas, nec illa ſi daretur plenaria, faveret ejus principiis, & inde violenter elicitis concluſionibus. Schediaſmate itidem Gallico quod *Homo Planta* inſcribitur, nuper alius ignotus Auctor uniformitatem hanc naturæ contuitus, comparationem anima-

lium & vegetabilium ex inſtituto ſuſcepit, atque analogiam partium in utriſque exhibere allaboravit; eam tamen non in omnibus inveniri, in principio ſtatim quod laudari debet, æquus conceſſit. Mihi interim & in iis hinc inde ubi ſimilitudinem quandam obtinere credit, ſæpe ipſa vix admittenda videtur. Scilicet ventriculum & inteſtina cum plantæ radice ejusque trunco, vaſa lactea cum radicis filamentis ſeu diſtributionibus capillaribus comparat, per quas nutrimentum toti corpori afferatur. An autem in homine nutritii humores ex vaſis lacteis ſcandunt in inteſtina & ventriculum, quemadmodum in plantis ex capillaribus filamentis in radicem? Nonne ſi luſibus ingenii indulgendum, ciſterna lumbaris & ductus thoracicus potius erunt radix nutrimentum corpori afferens, vaſaque lactea erunt diſtributiones radicis capillares, id minutis oſculis ſugentes ex inteſtinis, quemadmodum extremitates ejus id ſugunt ex terræ gremio. Nonne vero planta nutrimentum ſuum aquam non ſaltem ſorbet bibulis oſculis capillarium vaſorum radicis, ſed & abſorbentibus vaſculis exiguis in omni ſua ſuperficie extra terram protenſa patulis? Quid de foliis dicam, quæ cum pulmonibus animalium analogiam alere putat Auctor *Hominis Plantæ*. Sane in ipſa caule plantæ habentur oſcula aërem haurientia & in interiora ejus deducentia, quæ adeo non minus pulmo haberi poterit. Notum vero ſatis in homine non per numeroſas vias minutulas ingreſſum aëris ſuccedere, ſed per unum amplum tubum laryngem qui deinde in bronchia & minutiſſimas cellulas diſtribuitur, per omne pulmonum parenchyma diſperſas. Præter has nullæ dantur viæ

in

in corpore humano ſeorſim aëris itineri deſtinatæ, quæ igitur in una parte interna hominis ſaltem inveniuntur, ſecus ac in plantis, utpote per omnem ambitum externe aërem haurientibus; aliisque longe uſibus ſervit pulmo animalibus, quam tracheæ plantarum his ipſis deſtinantur. Minus deinde appoſite calorem ſolis, qui ab Auctore *Hominis Plantæ* cor naturæ vocatur, & cui vere circulus humorum in plantis debetur, cum corde animalium comparari crediderim. Quis enim calorem hunc externum analogum haberet parti principi organicæ corporis animalis? Aut ergo in fabrica plantarum quærendum aliquid cordi ſimile quod in ea non facile reperire eſt, aut fatendum, nil dari in iis, cum corde animalium vere comparandum. Ineſt animalibus ſuus motor qui omnia liquida propellit. Motores ſuccorum in plantis ipſis nulli, ſed extra eas aër, calor rarefaciens, frigus conſtringens. Taceo quæ de ſucco nervorum, de mammis, de utero gravido, & non gravido, de virga, de ſpermate, de congreſſu, de pollutionibus, de ſterilitate, de impotentia, de fœtu ejusque membranis, de nævis maternis habet Auctor varia ingenioſa & elegantia, utut interdum ægre paulisper analogiam admittentia. Putarem vero in his ſubſiſtendum, aut ex iis ea plane omittenda quæ nimis invita in comparationem mutuam trahuntur. Poſt nuptias plantarum expoſitas, de abortu, de ſcortatione, de adulteriis, de inceſtu, de gradibus prohibitis, de divortiis, earum quæ forſan ſuperaddet ingeniorum laſcivia, nil tolerabile ſcriptum iri auguror. Amat natura ſimilia in generalibus, æquasque leges ſervare obſervatur, at diverſimode tamen corporibus

Q 3 diver-

diverſis naturalibus applicatas. Maxima vero etiam quod probe notari velim ipſius adeo Auctoris *Hominis Plantæ* judicio, datur animalium & vegetabilium differentia, cum planta animal ſit motu, ſenſu, cogitatione, voluntate, intellectu, anima carens; homo vero his inſtruatur, quia iis indigebat. Profiteturque ipſe ultro attendentibus ſedulo ad ea quæ vegetabilibus & animalibus ſunt propria, liquido fore appariturum, plura utrisque eſſe quibus a ſe invicem recedunt, quam quibus veram analogiam mutuam alunt. Cæterum plantas animales quas forſan dari ſuſpicatur Auctor noſter *Hominis machinæ*, recte Auctor *Hominis plantæ* ſaltem ad hunc diem incognitas eſſe aſſerit. Deinde quoque hic egregie monet, docere attentam, legitimam, generalem aut non minus particularem naturæ conſiderationem hominem totum neque eſſe plantam, neque animal, ut cætera; quia enim per ſtructuræ rationem infinities pluribus dotibus indigebat ac animalia & plantæ indigent, infinities etiam ſuperiore intelligentia inſtructus eſſe debebat. Sed de his ſatis.

Accedo iterum Auctoris noſtri ductu ad generationem, cujus myſterium quoties introſpicere aggrediuntur oculatiſſimi cæteroquin mortalium, omnino cœcutiunt. Valde credibile eſt Neotericis fœminam nil facere præterquam quod totum futurum hominem a mare ſuppeditatum excipiat, foveat, ejusque explicationi & incremento neceſſarios nutritios humores ſuppeditet, donec externis injuriis ferendis par, & maturus ad excluſionem, ſuam vitam editus vivere valeat. Non difficile fuerat movere amplum quæſtionum numerum, ad quas ſapientiſſimorum hominum

minum in concilium coactorum collecta perſpicacia reſponderet nihil. Ridiculum autem foret germina & vermiculos humanos ab æterno derivare, atque ita pro entibus a ſe habere. cum nullum animal mechanica neceſſitate ſuaque propria vi, nedum fortuito elementorum ſuorum coalitu produci queat. An vero inter ipſa orientis mundi auſpicia ſimul creata prima illa animalcula ex quibus quomodocunque multiplicatis oriundum genus humanum ad finem usque ſeculi? Ubinam illa latitant nondum teſtem maris, ſeminales veſiculas & uterum domicilium nacta? Nunquam antea animalculo ulli imminet homineſcendi honos, niſi fuerit vegetum & robuſtum, niſi contineatur ſpermate ſani hominis alimentis bonum chylum largientibus uſi. An ergo in evchymo victu, an in carnibus, an in lacte animalium, quod chylus eſt, an in gramine, an in aqua nutrimento graminis, an in aëre cum aqua gramen ingrediente fluctuant animalcula aut id ex quo animalculum? Sane quo altius procedit curioſa nimis & temeraria indagatio, eo denſiores ſibi objectas offendit tenebras. Nil vero abſtruſiſſimum generationis negotium & invincibilis hæc ignoratia officit exiſtentiæ Dei, quam potius deſideratiſſimam & abſolute neceſſariam ponit, & urget ſeverius; neque tollit animam humanam, ſed ſalvam relinquit, ſi vel multo obſcurioribus difficultatibus implicaretur.

XXXIV.

Nos ſumus veræ talpæ in Naturæ campo. Nos ſumus horologia quæ de artifice ſollicita ſe non niſi

ejus ſapientia condi poſſe gratis reputant. Ingrati trium regnorum matrem naturam dedignamur. Imaginamur & gratis ſupponimus cauſam ſuperiorem illi, cui omnia debemus, & quæ vere omnia effecit incomprehenſibili ratione. Materia nil vile habet niſi rudibus oculis adſpiciatur, quos illuſtria ejus opera ſugiunt, neque operationes ejus limitibus coërcentur. Millenos homines majori facilitate producit quam artifex unum horologium. Ejus poteſtas in viliſſimo inſecto & elegantiſſimo homine æque apparet. Neque pluris ipſam conſtat in regno animali præſtantiſſimi ingenii hominis quam in vegetabili ſpicæ productio. Judicemus igitur ex eo quod videmus, de eo quod curioſitatem noſtram fugit. Si animalibus brutis Animam tribuimus confundimur, licet gratis profiteamur nos non velle determinare ejus naturam, quando ipſi immortalitatem non tribuimus. Anne hæc adſertio eſt gratuita? nam illa debet eſſe mortalis vel immortalis, quemadmodum noſtra. Sive ſumamus hoc, ſive illud, in ſcyllam incidimus, evitare volentes charybdin.

* * *

Talpis ſæpe cæciores ſumus in naturæ campo, cujus longitudinem & latitudinem fineſque ultimos nulla hominis acies adſequitur, cum ſæpe iis quæ ante pedes ſunt, ſi cauſas & fiendi modos reſpicias, accurate indagandis haud ſufficiat. Ex effectuum tamen de ſuis cauſis teſtantium nobilitate, ad harum indolem recte concludimus, aberraturi a vero, ſi præſtantiſſimos effectus ignobilioribus longe & infinities inferioribus cauſis attribueremus, quæ ſat nobiles omni-

omnino illisque reſpondentes admittendæ ſunt, licet ultra cognitionem noſtram longiſſime evectæ. Si ratiocinia caderent in machinas quod perperam & obloquente ratione ſtatuit Auctor, convicta ſeſe ſentirent omnia horologia præextitiſſe manum artificis libertate, conſilio, & intelligentia directam cui ſui ortum deberent totum, atque veſanam hominum illorum deplorarent ſocordiam, qui ſolem & lunam horologia diei & noctis, ſphærasque illas immenſas in quibus immutabili lege volvuntur vaſtiſſima planetarum corpora, cum omni ſiderum comitatu, mundumque demum univerſum adſpectabilem ordine & pulchritudine ſummis conditum, propriique demum corporis Mechaniſmum nullum ponere artificem, ſed ſponte ſua natum eſſe ſomniant. Vani ſunt qui indeſinenter & gratis tamen provocant ad Naturam, in otioſo & quandoque non ſatis penſitato nec definito vocabulo acquieſcentes, quod vage nimis ad hoc ævum uſurpatum eſt, & ad diverſos valde ſignificatus detortum, eaque propter multas confuſiones peperit, de qua re inter alios videndi BOYLEVS *), STVRMIVS **), & SCHELHAMMERVS ***). Audias de ſtructura & fabrica corporum loquentes quando naturam in ore habent; alii materiam, & eſſentiam eorum hoc nomine intellectam volunt. Sunt qui univerſum corporeum ſeu mundum adſpectabilem naturam vocant. Alii rerum naturalium ordinem, nexum, ſucceſſiones, legesque motuum ita appellare amant. Nonnulli Creatorem univerſi Naturam vocant, & non

*) Tractatu de Natura.
**) diſſ. de Naturæ agentis idolo.
***) libro bipartito de Natura.

non adeo apposite naturam naturantem nominant, naturæ naturatæ contradiſtinctam. Aliqui & ii præcipue qui materiam inertem habent & mortuam, quique movens aliquod principium Deo ſubordinatum & vicarium in mundo fingunt, Animam quandam mundi, Archeum, Spiritum univerſi, Principium hylarchicum naturæ nomine condecorant. Auxere ſignificatuum catalogum Medici, quibus multus de Natura ſermo eſt, qua ſanitatem ſæpe indigitant, ſtatum corporis humani ſecundum & præter naturam commemorantes: ut uſum ſex rerum non naturalium, barbare ipſis ita dictarum, ad diæteticam Medicinam facientium, aliaque taceam. Clariſſimo STAHLIO Animam rationalem præſidem vitæ & ſanitatis ſtatuere, & naturam vocitare placuit, quæ fere Archei Helmontiani filia haberi meretur, parentem exacte referens. Ex omnibus autem his naturis nulla noſtro Auctori arridet, ſed antiquitatis paganæ errorumque ejus amator, cum Epicuro & Sectatoribus quibus natura nil aliud fuit quam caſus & fortuitus atomorum concurſus, eandem ſententiam fovet, quam paſſim in libello ſatis aperte declarat. Saltem quod Stoicis ſolemne fuit Deum & Naturam invicem commiſcet, & confundit, & quaſi in SENECAE verba juraſſet, qui *Naturam nil ſine Deo eſſe, nec Deum ſine Natura* *), *totumque hoc quo continemur & unum eſſe, & Deum,* edixit **), infeliciſſimum hoc dogma ſtrenue tuetur. Paucis dicam eadem prorſus incedit via, qua præeuntibus veteribus ethnicis Philoſophis inceſſit Spinoſa, qui licet obſcuris & ambiguis locutionibus ſtudio utatur, atque de Deo paſſim magnifi-

*) de beneficiis lib. IV. c. 7. **) epiſt. 92.

gnifice ſentire videri velit, tamen Deum & Naturam habet pro una eademque ſubſtantia, quod inter alia ex eo clare eluceſcit, quando æternum illud & infinitum ens, quod Deum ſive Naturam appellamus, eadem qua exiſtit neceſſitate agere, & brevi poſt cauſam cur Deus ſeu Natura agat, & cur exiſtat unam eandemque eſſe aſſeverat *).

Quis igitur non videt eximia illa dogmata, quæ de Natura diſſeminat Auctor noſter novitatis gloria ſeſe neutiquam commendare, ſed obſoleto ſqualore vetuſtisque ſordibus inquinata procedere in publicum, Gallico licet pro more ſeculi amictu induta, ſub cujus velamine informis, ſpurca, & cœnoſa malitia deliteſcit. Omnes illi graviſſimi Viri qui Spinoſiſticos errores in tenebricoſa locutionum obſcuritate Proteiformi aſtutia gliſcentes, & ſerie nexuque propoſitionum apertis & claris in apricam lucem procedere non auſos, delarvarunt & oſtenſa palam fœditate confoderunt, atque redire ad orcum juſſerunt, ex quo ſuam traxere originem, Sectatorum quoque abſurditatibus conficiendis ſufficiunt. Neque hæc infernalis hydra, licet detruncatis capitibus nova ſemper enaſcantur, aliis quibus incrementum eorum & ætas præpediatur armis indiget, quam iis, quæ ipſa ratio ſana ſatis, & in deliramentis haud ſibi placens ſuppeditat. Seorſim vero vel illa ſola quæ ſupra jam laudati BOYLEVS, STVRMIVS, & SCHELHAMMERVS ſolide *de Natura* commentati ſunt, negatum Deo vero Naturæ omnis Auctori honorem aſſerunt, & idola quæ erigere auſa eſt Atheorum & Materialiſtarum infrunita licentia evertunt funditus. Atque quem-

*) Ethic. Part. IV. p. 162.

quemadmodum aliquando Chemiam ipſam ſuos errores repurgare oſtendit BOERHAAVIVS, ita eapropter ſaniorem & modernam præcipue Philoſophiam antiquatas hallucinationes Epicureas & Stoicas quibus nititur Spinoſiſmus, in apricum ponentem, & evanidum ipſarum fundamentum demonſtrantem laudare decet. Nil vile habet materia, verum eſt; cum omnibus demum quæ ſenſubus percipimus, totique adeo univerſo eſſentiam & formam largiatur. Cavendum vero etiam ne nimis nobilis ipſa ſtatuatur, eique affingantur dotes propriæ quibus vere non inſtruitur, utraque ratione peccatur graviter, media via tutiſſimi ibimus. Male ſuperiori adhuc ſeculo ſtatuerunt Eruditorum haud pauci ARISTOTELIS & CARTESII veſtigia prementes materiam pati, formam recipere, & figuram, extendi, dividi, moveri, agere autem nihil, movere nihil, ſed modificari divina virtute immediate, aut entibus variis pro cerebello cujusvis ſubſtitutis, divinæ virtuti ſubjectis, eique vicariis. Male vero etiam & peſſime omnino materiæ poſt aſſertam vim agentem & motricem qua vere inſtruitur, cogitationem, ſcientiam, providentiam, intelligentiam, tribuunt nonnulli, quibus omnino deſtituitur & deſtituetur in perpetuum. Perperam Auctor noſter operationes Materiæ nullis limitibus coërceri, præſtantiſſimaque opera facilitate, ſagacitate, poteſtate, ſummis & incomprehenſibilibus eam producere putat, quæ tamen vires omnes ipſi adſcriptæ ſi rite conſiderentur, ſine infinitate, independentia, æternitate, omniſcientia, omnipræſentia, omnipotentia concipi nequeunt. Verum non niſi in ente immateriali & ſummo eoque ſolo hæ prærogativæ inveniun-

veniuntur & demonſtrantur, cujus libertati & arbitrio quicquid boni poſſidet materia debetur unice.

Quando autem illa phænomena, quæ attendentes ſedulo ad actiones animalium brutorum & rationalium animadvertimus, ex proprietatibus materiæ, niſi hæ gratis nimis ſublimes ponantur, neutiquam explicari poſſunt; quando ſic viſa materiæ inſufficientia aliam cauſam admittere & ſtatuere coguntur æqui rerum arbitri, cui effectus omnes vires materiæ tranſcendentes, illisque infinities nobiliores tribuantur, ſi vel maxime illius cauſæ ingenium nos lateret; an turpiter & precario animas eſſe brutis & hominibus tunc docetur, & defenditur? An autem dum in corporibus & ipſa materia differentiæ certæ inveniuntur, diverſique dantur præcellentiæ gradus, abſurdum erit credere animas in genere conſideratas non minus dotibus diverſis majoribus minoribusque pollere, maxime cum illi effectus qui ab animabus deduci poſſunt unice, diſtinctiſſimos invicem, & nobiliores & ignobiliores deprehendamus, brutaque ultra materiæ virtutes agentia, mirum quantum tamen hominum actionibus ſuperari liquido convincamur. Sane ut de Philoſophis nil dicam, non dubitavit ipſe Sagaciſſimus HALLERVS *) Spiritubus adſignare ſuos ordines, a perfectione ſumma quæ a Deo incipit, quæ in angelis minuitur, & in hominibus gradatim deſcendit brutisque longe eſt inferior, & infima tandem evadit, ac deſinit, nullaque puto habet argumenta ratio, quæ ſtringentia & valida opponat. Neque mihi perſuaderi patiar recentem Scriptorem Cl. BOVLLIER qui

*) Poëmate germanico de Origine mali.

qui ſimilia fere adſtruxit *), & Animam brutorum ſe habere ad humanam eadem ratione profeſſus eſt, ac humana anima ſe habet ad Angelicam, merito ſuo irriſum fuiſſe a noto ſatis Auctore M. d'Argens, quod poſtquam avtomata bruta ſecus ac fecerat Carteſius animabus inſtruxiſſet, non motus plantarum elegantiſſimo habitu, his quoque idem felicitatis genus haud indulſiſſet. Spondere ego fidemque facere audeo, ſine mora ſimulac Plantarum ille motus quem ſenſus æmulum aliquando peculiari diſſertatione declaravit Celebris inter Illuſtres Medicos Botanicus HEBENSTREITIVS abiturus eſt in verum ſenſum; ſimul ac plantæ animales orbi innoteſcent, atque roſæ, tulipæ, narciſſi &c. ideas percipient, perceptasque nectent invicem, atque externo decori reſpondentia intus efformabunt ratiocinia, non brutales ſaltem, ſed cum humanis pari paſſu ambulaturas animas vegetabilibus aſſerturos fore, veri juſtique ſtudioſos Philoſophos.

His autem omnibus ſobrie conſideratis, quando clariſſimum evadit, nil nos impellere ut plantis tribuatur anima; poſcere autem hominum & brutorum perſpectas actiones, ut minus deducendæ a mechanica & corporea virtute, deriventur a principio alio a corpore ſejuncto quod animam dicimus; quando deinde dilucide apparet Actiones animabus proprias, in brutis & hominibus multum differre a ſe invicem, atque in his eminentiores longe obſervari quam in illis, quid impedit ſtatuere, corruentibus brutorum & hominum corporibus, ſeparandas ab ipſis animas, antea diverſas, non idem fatum experturas, ſed

*) Traité de l'ame des betes.

ſed humanis aliam prorſus ſortem imminere, quam brutalibus. Nimis excurrerem, & dum ad finem laboris mei præter ſpem longioris, accedere debeo, novo plane me accingerem ſi immortalitatem Animæ humanæ adſtruere fuſius aggrederer cui ſuperſedere facile poſſum, cum ſummorum Virorum induſtria & perſpicacia huic negotio pleniſſime ſatisfecerit, ut ſcripta exquiſitiſſima largo numero hodie exſtantia ſe ignorare profiterentur tacite, qui de defectu demonſtrationum conquererentur, quæ ſolidiſſimæ, non niſi ab iis qui contradicere amant, & præfracte nolunt convinci, parvi faciuntur. Nulla unquam cogitatio cadere poteſt in ens compoſitum, quæ longe alia eſt, quam ut a partium conſtituentium ordine, ſitu, motu, mutatis proficiſceretur. Quando ergo id quod cogitat ens ſimplex haberi debet, phyſica ſtatim ejus deſtructionis impoſſibilitas perſpicitur, neque aliter ea poſſibilis poteſt concipi, niſi accedente nutu & arbitrio illius entis ſummi a quo omnium ſimplicium & compoſitorum origo. Id ratio perſpicit. Sed & hæc audet evincere, ſine revelatione, (quæ ſola utique illa quæ animas noſtras moriente corpore manent, clare & vere edocet) repugnare attributis divinis, repugnare creationis finibus, repugnare ipſi animæ, ejusque indoli, ejus annihilationem. Maximi ponderis ſunt argumenta quæ ex his fontibus petuntur, ſat multa, ſique inſufficientia ſibi ea blaterent Materialiſtæ, pertinaciſſimi eorum ſaltem coacti largiantur ea valde probabilia, cogitentque oro, contrariam quam fovent ſententiam ſe probare plane nullis, & miſerrimo tandem ſeſe tueri Pyrrhoniſmo. Si ſibi licitum putant impune ignorare poſſe & ignorare

rare velle, quæ hominibus poſt mortem expectanda ſunt, æquiori animo ferre debent de fatis brutalium animarum non adeo ſollicitos, quarum ſaltem deſtructioni ſi ſola acceſſerit divina voluntas nil obſtat amplius, cum ſuis muniis vita corporis ceſſante defunctæ videantur, neque ratio ſufficiens dari posſit, cur exiſtentia earum debeat pergere.

XXXV.

Rumpamus præjudiciorum catenas, & per experientiam naturam veneremur, relinquentes quæ comprehendi nequeunt, & apparebit in anguſtas ſulcorum ſuorum cogitationes damnati Agricolæ atque Carteſii & Newtoni cerebrum non differre, hominemque imbecillem & ſtupidum eſſe brutum figura humana inſtructum; ſimiam vero ingenioſam eſſe hominem in alia forma. Omnia abſolute pendent ab organiſmo. Animal bene ſtructum & inſtructum in aſtronomicis poteſt prædicere ecclipſin, & in medicis vitam & mortem. Filum obſervationum docet nos alligare materiæ facultatem cogitandi, licet vincula non cognoſcantur, quoniam ſubjectum hujus attributi quoad eſſentiam ſuam nobis eſt incognitum.

* * *

Etſi in cerebro Ruſtici & Philoſophi nil diverſi detegit Anatome, valde tamen vires illius entis a ſe invicem diſtant, quod vere ruſticum & philoſophum diſtinguit. Magnam dari ut corporum, ita & animorum differentiam: neque omnes ad omnia aptos habe-

haberi, ſi vel optimæ corporis ſtructuræ optima inſtructio jungatur, certum eſt. Vix puto omnes homines ſanos quibus vaſtum ſatis cerebrum eſt, exquiſitiſſima cura etiam ab incunabulis adhibita, habiles fore ut abeant in CARTESIOS, NEWTONOS, WOLFFIOS, BOERHAAVIOS, SWIETENIOS, HALLEROS. Raris his nantibus in vaſto Eruditionis gurgite, longe frequentiores ſtatim ſibi gratularetur felix Seculum, ſi ad abſolutiſſimum corporis organiſmum, accedens decens inſtructio ſufficeret. Hæc certe numeroſiſſimæ Juvenum coronæ quæ in Auditoriis Gymnaſiorum, Academiarumque confluit, communis eſt; ex multis tamen paucis licet emergere in altum; ſæpe improbo labore diu adhibito parum hic proficit, quando per luſum quaſi & jocum ille cito ad ſublimia evehitur. Optimo Præceptore uſus privatiſſimumque ejus expertus ſtudium, interdum longiſſime ſuperatur ab avtodidacto. Præcox in pueris nondum ad inſtructionem maturis viſis ſeſe haud raro prodit ingenii judiciique acies, quæ juvenibus ſatis adultis & ſcholas varias egreſſis hebes deprehenditur, manſura hebes. Humili, tenello, debili, valetudinario corpuſculo magna, elata, & dotibus eximiis pollens quandoque ſociatur animi indoles; quando in corpore quadrato, robuſto, toroſo, vegeto, ſaniſſimo, reſidet ſimplicitas & indocilitas nulla doctrina & arte ejicienda. Decreſcentibus jam corporis viribus perſtat ſæpe & complementum adipiſcitur animi vigor, exſuccum jam ſenio cerebrum habitare non raro haud detrectans. Vix vero patitur horum & multorum quæ addi poſſent conſideratio, credamus cum Auctore noſtro corpori & materiæ inhærere ſa-

R pien-

pientiam aſtronomicam & medicam, ſed ad aliud principium ipſam referendam eſſe luculenter opinor conſtat. Simiarum ingenioſiſſimam, humana anima deſtitutam ſuperat homo valde rudis & ſtupidus, humanumque quid ſibi proprium oſtendit aperte, quod ſimia adſcititium & alienum ſaltem mentitur, ſemper ſecundum tritum manſura ſimia, etiamſi aurea geſtet inſignia. Eleganter ſcripſit Auctor *Hominis Plantæ: Simia in multis homini ſimilis, ſed quacunque etiam docilitate polleat earum ſagaciſſima, homo multis modis facilius inſtructionem admittit. Quicquid enim de animalium facultatibus prodigioſi recenſeatur, id omne ad eminentiam noſtræ animæ non accedit, quæ prorſus aliis dotibus inſtructa eſt, ad quas animalia e longinquo ſaltem appropinquant. Propter hanc ſuperioritatem noſtræ animæ homo etiam rex eſt animalium, ſolusque ad ſocietatem aptus. Soli ejus induſtriæ inventio linguarum, legum, morum, atque ſapientiæ cultura debetur.* Ponderare hæc dignetur Auctor *Hominis Machinæ*, qui certe precariæ valde opinioni, quod inſtructione ſola ſimia in hominem mutanda foret, maximam partem erronearum ſuarum ſententiarum ſuperſtruit, & dum experientiam utique crepat, aſſertis ſuis temere prolatis contrariantis experientiæ, inſufficientiamque materiæ ubique clamantis, toties obliviſcitur. Si ſibi relinquatur liberum, neque in gyros & nodos ſtudio intorqueatur caſtarum obſervationum filum, Ariadnæum manebit ſemper, & ex opinionum errorumque cæcis labyrinthis quos ſtruit artificioſa nequitia, fidum educet potius veri amantes, quam illabi in eos & implexos ibi ſinet confundi. Quid vero ſibi vult ſincera confeſſio quæ non ſatis cogni-

tam largitur materiam in qua tanquam in ſubjecto hærere ponitur cogitationis attributum? Quis jam abibit convictus, quando ex notis materiæ proprietatibus cogitationem deduci non poſſe ipſe Auctor ultro profitetur. Bene hoc monet omnino, ſervabimus nos interim remoto inſufficiente ſubjecto aliud dignius, donec aliæ eæque hucusque incognitæ materiæ dotes obſerventur, novis demonſtrationibus evincantur, ipſæque favere cogitationibus & non abhorrere ab earum natura probentur.

XXXVI.

Non dicamus totam Machinam aut animal periturum, aut aliam formam poſt mortem induturum, nam hoc omne ignoramus. Si vero aſſereremus machinam immortalem eſſe chimæram, aut ens rationis, æque abſurde ratiocinaremur, ac ratiocinarentur erucæ, quæ videntes exuvias aliarum eas deplorarent quod annihilatæ eſſent. Callidiſſima erucæ alicujus anima non expectaſſet quod abitura ſit in papilionem. An nos plura ſcimus de eo quod nos manet, quam de noſtra ſcimus origine? Subjiciamus nos ignorantiæ invincibili a qua tota noſtra felicitas pendet.

* * *

Quæ aſtute hic Auctor noſter in medium profert, corpus ſaltem reſpiciunt, & plane non feriunt ſeorſim exiſtentem animam. Hæc dum datur, vel ſolo rationis lumine quo ducti in communem conſenſum coivere gentes habitati orbis univerſæ, ne barbaris

exceptis, ob ipſam ſimplicitatem immortalis eſſe perſpicitur. De corporis duratione, aut mutatione in aliud, quando demortui putredo, & in pulverem abitus oculis uſurpatur, vix cogitare permittitur principia Auctoris amplectentibus. Namque quæ de erucis lepide recenſet, non videntur ſatis applicabilia. Iis enim quando in papiliones abeunt, non deſtruitur integer corporis organiſmus, ſalva manent ſine dubio viſcera, poſitoque involucro reſiduum ſub eo animal aliam ſaltem formam induit, partibus quæ præexſtiterant, explicatis in aliam configurationem. Aliter autem nobiſcum comparatum eſt, quibus poſt mortem tota fatiſcit & perit ad minutiſſimum vaſculum Machina, elementisque ejus ex quibus conſtructa fuerat tantum ſuperſtitibus, in terram inertem & informem diſſolvitur, ſæpe longe lateque hinc inde in orbe diſpergendam. Ex hac collecta iterum, qua ratione novum, vel idem, vel aliud corpus æque organicum, & ad ſtuporem in minimis mechanicum exſurgere queat, non credo capit relicta ſibi Atheorum ratio: cum univerſæ Naturæ vires quas ponunt, ſine Deo a Natura ſeparato, ex pulverulentis elementis ne unicæ parti organicæ, nedum integræ Machinæ humanæ effingendæ, ſufficiant. Facilius ii qui ſui originem quoad fieri licet altius repetere laborant, ſuæque ſi ita loqui licet, originis originem rimantur, rationemque ejus ſufficientem nec in protoplaſtis, nec in materia totius univerſi inveniunt; quique adeo ens ſumme potens, ſapiens & bonum, neceſſario exiſtere convincuntur, cui uni huic negotio pari fabricam ſui corporis acceptam ferant; facilius inquam ii ſolius intenti judicii vi, reſurrectionis & poſſibi-

ſibilitatem, & probabilitatem ſummam attingunt. Namque qui ſemel ex rudi indigeſtaque mole terreſtri hominem, quem non æternum & infinitum, olim exſtitiſſe primum, propagationis generis humani modus inter alia probat evidenter, condere potuit Creator, numquid per immutabilem potentiam etiam repetere idem opus poterit pro lubitu? An conciliaretur cum bonitate & juſtitia divina, quas ratio demonſtrat, bonorum virorum & nebulonum fatum poſt mortem idem, utrorumque annihilatio? An ſuperſtite Anima, cui decreta actionum mercede aut bene aut male fuerit, in corpus, inſtrumentum vel virtutis vel nequitiæ, non ſimul caderet, aut præmium, aut pœna? Num ex pertinaci & inani ſcepticiſmo ſitne illa ultima linea rerum mors, ultimus noſtri terminus, an minus? Num ex inſuperabili ſi daretur ignorantia quid demum poſt eam nobis expectandum ſit? Num ex imprudenti abnegatione, nil ſupereſſe prorſus, tanquam ex fontibus genuinis vera noſtra & optabilis profluit felicitas? Vah quam miſera hæc erit; quam imperfecta, quam evanida! Siccine innatum ipſius & infinitum deſiderium, quod feliciſſimo mortalium & extremam ſenectam ſupergreſſo nondum ſaturatur, quodque mancam valde felicitatem quoad vivimus demonſtrat, ut torqueamur magis datum nobis eſt, quam ut olim ſine anxie in votis habito potiamur? Dubitaſſe de alia vita, diſputaſſe contra eam ſterilibus argumentis, negaſſe eandem temere, neminem ſanum reddit, nec divitem, nec illuſtrem, nec aliis quibuſcunque nominibus felicem. Imo vero ſi omnia demum tibi liceant quæ libent, ſi omnia bona

terreſtria quæ ſingi queant, in te poſſeſſore uno confluant, anne quæ præpediri nequit, ſurgens inopinato inurbana cogitatio ad perbreve tempus hæc data eſſe, relinquenda fore certiſſime, & ne per momentum quidem ſecuram tibi fruitionem indulgeri, omnem felicitatis perceptionem uſumque inhibet & tollit ſubito, horridum terrorem incutit, anxietatem ineffabilem parit, mille deliciis prurientes ſenſus grate titillantibus ſuperiorem, neque ſuperabilem unquam, niſi ad indeclinabilem moriendi neceſſitatem ſpes fortunarum ſolidiorum magisque durabilium, ac firma eas obtinendi fiducia acceſſerit. Unde vero præcipue illi miſero, qui licet ex eadem materia, ex eodem luto compactum ſeſe videat, ex quo potentum divitumque coaluere corpora, tamen ſe ſortis iniquitate quam nunquam meruit totum obrutum, bonis omnibus exutum, per naturæ novercantis injurias aut cœcitatem caſus miſeriarum avitarum & paternarum hæredem, ſuperiorumque ſorte imaginariæ felicitati inter alia communia ſacrificia immolandum queritur; unde illi demum ſua in orbe felicitas, niſi in unicum ærumnarum ſolamen futura bona reſpexiſſe juverit. Nulli denique mortalium ſive ex mente Seculi feliciſſimum ſive infeliciſſimum habitum contuitus fueris, vera & ſolida felicitas ſine quiete Animi, ſed hæc ſine Deo impetratur nunquam, cujus providentiæ ſeſe committens conſcia mens recti, ſola habet in quo acquieſcat.

XXXVII.

Ita qui cogitaverit erit ſapiens, juſtus, ſua ſorte contentus, & quod inde conſequitur felix. Attendet

mor-

mortem nec deſideratam nec reformidatam. Vix capiet quomodo tædium vitæ naſci poſſit in loco deliciis pleniſſimo qui venerari naturam jubet, gratumque animum erga ejus beneficia inſpirare aptus eſt. Felix ejus ſenſu & commotus elegantiſſimo ſpectaculo univerſi, illam nec in ſe ipſo deſtruet nec in aliis. Dum plenus humanitate eam ad inimicos usque extendet, colligamus qualem ſe præſtiturus ſit aliis. Dolebit vices improborum formam hominis ſaltem gerentium ſine odio. Tolerans defectus conformationis rationis & corporis admirabitur perfectiones utriusque. Donis Naturæ inſtructos digniores conſideratu habebit quam eam novercantem expertos. Ita cum ex naturalibus donis omnia profluant, quæ acquirimus, os & cor Materialiſtarum abundabit elogiis quæ illis debentur quæque injuſte quivis alius ipſis denegat. Tandem convictus Materialiſta quod nil ſit niſi Machina vel Animal non male aget cum ſibi ſimilibus, ſed ductu legis naturalis datæ omnibus animalibus non faciet aliis quæ nollet ſibi fieri.

*
*   *

Rebus hactenus ſuis ut putat bene geſtis, Panegyricum tandem Materialiſtis dicit Auctor, concinnoque verborum apparatu eosdem Viros bonos, & optimos plane, ſiſtere molitur. Ea mihi in æquitatem propenſio, ut lubens largiar, non oportere Materialiſtam eſſe hominem inhoneſtum & improbum, aut malum civem, ſed bonum eousque ſe gerere poſſe mihi perſuadeo, quousque Natura a qua pendet, cuique totum ſe relinquit id permittit, aut pœnarum metus invitum talem eſſe jubet. Prorſus autem con-

victus ſum, non inſtrui Materialiſmum validis ſatis argumentis, quæ a morum aut libertate aut perverſitate revocent, ſi eo feratur naturalis impetus, & ad rectum ſtatumque virtutum tramitem nos invitent, aut deducant, maxime ſi poteſtas impune male agendi acceſſerit. Nemo interim Materialiſtarum probaverit facile, contraria ſentientes per ſua principia magis in vitiorum fœditatem ruere magisque recedere a vitæ integritate & rectitudine. Plures potius eosdemque multo limpidiores fontes noſſe Spiritualiſmum & religionem certum eſt, ex quibus bene agendi præcepta methodique emergunt. Qui in abſolutiſſimum virtutum exemplar intuentes, ejus veſtigia exacte ſequi, & ultra naturæ vires adjuti ope divina procedere juſſi ſunt, quique ad rationem factorum ſuorum reddendam poſt fata ſeſe adactum iri credunt, arctius opinor ſtringuntur, fortiusque obligantur quam qui tale exemplar ignorant, quique feram Numinis vindictam a paganis admiſſam, ceu commentum ridentes, humanam Nemeſin ad mortem usque aut effugere norunt, aut inferiorem vident, extremumque aliquod judicium nulli parciturum inter fabellas reponunt. Quod felicitatem Materialiſtarum attinet quam hic denuo prædicat Auctor, ego quidem attente ſæpius contuitus ea quibus ſolis vita nobis felix & beata redditur, illam ipſis non invidendam crediderim, ultra ſenſum Naturæ adeo paſſim ab eo magnifactum non adſcendentem; voluptatibus ſolis ſenſubus blandientibus circumſcriptam; ad abuſum ſæpe naturæ evagantem; pœnis naturali ſequela inſequentibus toties caſtigatam; & naturali vitæ humanæ termino elapſo finiendam. Si dum

vive-

viveret, extorqueri ſibi illam perſuaſionem immortalem eſſe Animam noluit ſapientiſſimus CICERO ſed lubentius errare voluit, & errore hoc adeo ſi talis foret, delectari ſeſe profeſſus eſt; non oberit felicitati in hoc ævo ſolida convictio; parietque morientibus omnibus ſua oblectamenta, ſi vel ſterilis haberetur hypotheſis, veriſſima de immortalitate ſententia. Tetrica nimirum non poteſt non eſſe illi, & ultra omnem imaginationem formidabilis mortis facies, qui finem vitæ & ſui eundem eſſe cogitat, quicquid demum vanus glorietur; quoque magis placuit uſus hujus Univerſi, & Seculi, quo plura liberalis natura beneficia indulſit; quo magis inter concatenatas delicias, tædiis vitæ aut non permiſſa aut cito abrupta eſt naſcendi occaſio, eo magis acerbum erit injunctum a deſtruenda brevi Machina ultimum vale, in perpetuum relinquendis amoribus, vanitatibus, cupiditatibus, dicendum, atque ab iisdem abripi ſæpe in inſtanti. Nonne ita ſi plenarius immineat interitus, ſi funeſtus in nihilum abitus appropinquet, ægerrime a mundo avelletur humanum animal?

Vitaque cum gemitu ruet indignata ſub umbras!

Ineſt morti ſuus indelebilis amaror, quorumvis guſtui gravis, & horrenti Naturæ nauſeabundus, neque mellitiſſimis Stoicorum placitis occultandus; una religio remedia ſuppeditat quibus deliniatur atque dulceſcat. Cæterum quemadmodum hæc pulchrius mori docet ſuos cultores, ac illi diem ſuum obeant, qui poſt dubiorum nexus, ancipites nunc inſiſtunt limini, quo ſuperato ad æternitatem itur; quique in eo articulo ultimo elapſi temporis quod

vitæ datum erat, non poſſunt non angi mirifice, inſitne forte aliquid veri neglectis & irriſis hactenus, quorum omnium certa ſed tremenda jam inſtat experientia: ita quoque eadem religio dum vita ſupereſt, uſum donorum ipſius non inhibet, ſed ſalubriorem reddit, atque in elegantiſſimo naturæ ſpectaculo Bonitatem & Sapientiam infinitam Conditoris demiratur & adorat, atque omne gratum & acceptum ad Largitorem ſuum defert; omnemque demum felicitatem in hoc ævo eapropter ſaltem habet dulcem & amabilem, quod ingreſſum paret ad infinities ſuperiorem, bonos manentem, & perennaturam ſine fine. An ergo obmuteſcere ſinit ſuos illisque os obturat religio quo minus in laudes Naturæ diffluant? quando ad ipſum ejus Auctorem devoto animo ſinceroque corde adſcendit, nonne ita humilis & grata juſtas, ipſique non diſplicituras grates decernit, quando ſpontaneus caſus & fortuitus elementorum fluxus, idolum Materialiſtæ, quod collaudaſſe ſupervacaneum & ineptum fuerit, homagiis & encomiis haud movetur, ipſeque ſolis affectubus in quos natura fertur eorumque tyrannidi vile mancipium ſupplex altaria erigit, eidemque totum ſeſe devovet. Placeat ipſi brutus hic & miſerrimus cultus; placeat ipſi ſua Animalitas & Machina, per me licet! de lege naturali nil addo amplius ſed ad dicta in ſuperioribus provoco.

XXXVIII.

Concludamus jam audacter hominem eſſe Machinam & non dari in Univerſo niſi unam Subſtantiam diverſi-

verſimode modificatam. Non hypotheſin propono vi poſtulatorum & ſuppoſitorum evectam, non opus a præjudiciis aut ſola ratione excluſum. Dedignatus eſſem hanc ducem minus fidam niſi ſenſus mei facem prætuliſſent lucidam, quam ſecutus ſum. Experientia mihi locum obtinuit præ ratione, atque ita utrasque conjunxi. Non permiſi mihi ratiocinia vel vivaciſſima, niſi ex ordine & multitudine obſervationum phyſicarum elicita, quas nemo Eruditorum vocabit in dubium. Hosque ſolos Judices conſequentiarum inde deductarum agnoſco, neminem admiſſurus niſi a præjudiciis vacuum, niſi Anatomicum & in Philoſophia corporis humani huc faciente verſatum. Non moror arma puerilia Theologica & Metaphyſica ideasque illas vacuas & triviales de duabus ſubſtantiis in ſe invicem agentibus & reagentibus quas præjudicium & ſuperſtitio in orbe conſervant. En meum ſyſtema ſive potius veritatem, brevem, & ſimplicem. Diſputet jam quicunque voluerit.

*
*   *

Ad finem Operis delatus, idque nunc obſignaturus Auctor, digniſſimus & ſuo & communi Atheorum Præceptore Diſcipulus, nobiliorem ei vix impoſiturus erat colophonem, quam ipſiſſimarum ejus propoſitionum repetitione, quarum dilucidationi egregie ſatisfactum reputat. Diu namque ſcripſerat Spinoza: *Præter Deum nulla datur neque concipi poteſt Subſtantia, quæ in rerum natura non datur niſi una*).* *Subſtantia cogitans & ſubſtantia extenſa una eſt eademque*

*) Ethices Part. I. prop. 14.

demque ſubſtantia *). *Mens & Corpus una eademque res eſt* **). Atque ita poſtquam easdem ſententias propugnavit ſtrenue, gratiſſimum tantis manibus ſeſe præſtitiſſe officium lætabitur Auctor, ita cedro dignæ memoriæ Spinoziſticæ floribus undique diſcerptis, plenaque manu ſparſis

Semper honos nomenque Viri laudesque manebunt.

Securus interim & audax audaci concluſioni obloquor, & nec a Præceptore nec a diſcipulo Syſtema aliquod profectum aſſero, neuter definit accurate, ordinemque juſtum & nexum propoſitionum exhibet; Neuter demonſtrationes claras, & evidentes, ſine falſo ſuppoſitis & arbitrariis ſuppeditat. Spinozæ tales nævos objecere Clariſſimi Viri qui ejus doctrinas examinarunt accuratius ***), noſtrum Auctorem hallucinatum ſæpius, gratisque ſumſiſſe ſat multa, niſi fallor liquido indigitavi. Non habet certe quod experientiæ & obſervationibus phyſicis ſua ſuperſtruxiſſe adeo glorietur, quando interdum ingenioſe pro lubitu tales fingit, ſæpius multo ex veris quas negare nemo ſagaciorum auſus fuerit, falſiſſimas concluſiones perverſo argumentationis genere elicit. Non hercle provocaſſe ad experientiam ſufficit. Norunt Medici HIPPOCRATEM Patrem experientiis collectis conſuluiſſe omnibus filiis; at bone Deus quot ſteriles hypotheſes ab ejus ævo ad noſtra usque tempora ars vidit excluſas, quas omnes tamen quaſi nixas experientiis Hippocraticis orbi obtrudere non verita eſt, per tot Secula præjudicata opinio. Rigide

*) Part. II. prop. 7. **) Part. III. prop. 2.
***) Vide Bayle Dictionaire voce Spinoza.

de expenſam, & accuratiſſimam corporis humani Philoſophiam, dogmatibus noſtri Auctoris in multis minus favere, & evidenter ſubinde contrariari, quamvis veriſſima ſimul immiſceat ſæpeque dicendorum fundamenta ſtruat, niſi omnia me fallunt, clariſſime commonſtravi. Doleo ſi durius hinc inde locutus videar; zelum autem illum promereri illos non dubito, qui Theologis & Philoſophis inſultant, quos ſi nomine hoc illuſtri ſeſe dignos præſtiterint honore & cultu proſequendos, non contumeliis afficiendos & homines nauci habendos ſtatuo. Veneror Philoſophos noſtri & elapſi Seculi acutiſſimos. Veneror Theologos ſimul Philoſophos, quos benefica Providentia temporibus noſtris reſervavit, & fræna injicere juſſit impudentiſſimæ ſentiendi libertati. Hos imperterrito vultu, magno animo, virili robore, ſeveris ratiociniis, armis inſuperabilibus, obviam incedentes improbæ libidini ejusque tela potenter obtundentes & diffringentes ſummo animi oblectamento adſpiciunt & colunt, æqui, & boni, & ſagaces omnes. Talibus ſi probentur mei qualescunque conatus, ſique ſimul Medici doctiſſimi me honori Ordinis utcunque conſuluiſſe, eumque ab ignominioſa ſuſpicione qua Mechaniſmo faventes vergere in Materialiſmum creduntur, vindicaſſe judicaverint, habebo de quo mihi gratulabor impenſe. Facile prævideo nec Auctori, nec amicis ſententiarum ejus mea fore ad palatum, atque ab illo me vile animal, male ſtructum & inſtructum altoque ſupercilio deſpiciendum, ſalutatum iri colligo. Quamvis vero Viros eruditionis laude conſpicuos, quos inter jure ſuo ipſum referendum eſſe, mecum magis idonei

idonei Judices ultro profitebuntur, ego ſuſpiciam, ut decet, ſingulos; libere tamen eloquor, me fortes adeo ſpiritus non habere illos, qui ſpiritus exturbare moliuntur, ſed e contrario potius languidula, tenellula, vagula, animula inſtructum credere, qui de Animæ humanæ, maximis dotibus, viribusque omnem materiam & machinam excedentibus, pollentis exiſtentia, nec convictus eſt, nec poteſt convinci.